HERMIPPI

SMYRNAEI PERIPATETICI

FRAGMENTA

COLLECTA DISPOSITA ET ILLUSTRATA.

EDIDIT

ADALBERTUS ŁOZYNSKI

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

BONNAE

APUD TOB. HABICHT.

MDCCCXXXII.

VIRO SUMME VENERANDO

SIMONI STAMPIO

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIAE A CONSILIIS MERCATURAE REGUNDAE

PATRONO AC FAUTORI SUO

PIE COLENDO

OB INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

CHR. AUG. LOBECKIO

CAR. FRID. HEINRICHIO

FRID. THEOPH. WELCKERO

AUG. FERD. NAEKIO

CHR. AUG. BRANDISIO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

HUNC LIBELLUM

GRATO PIOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

L. S.

Qui in colligendis illustrandisque veterum scriptorum reliquiis, superstitum operibus inclusis commixtisque et, veluti tabulae magno e naufragio servatae, hic illic disiectis, studium operamque collocant, non mercenarium aliquem se suscepisse laborem existiment necesse est, quo dispersis membris in unum corpus utcunque concinnandis, integra opera adire fastidientibus quasi lenocinaturi, illarum usum habiliorem commodioremque reddant. Nae ego, si tali unice ductus fuissem consilio, gratum mihi fore operae pretium, nunquam sperare potuissem. Fructuosior enim est inque maius excedit illa utilitas, quam toti afferunt rei litterariae, qui disturbatas particulas non colligunt solum, collectasque publici faciunt iuris, verumetiam scriptoris ingenium, aevi quo vixerit, seu virtutes seu maculas, maiori luce ut affundant, adnituntur. Mihi igitur quum ad Peripateticos Alexandrinos forte studia convertissem, non solum Hermippi Smyrnaei, quem ex illis eligere placuit, pristinum scriptorum filum enucleandum fuisse, persuasum fuit, sed scholae Peripateticorum Alexandrinae, cui addictus ille fuit, et labem et dotes, quoad fieri potuit, adumbrandas; ut facilius inde exsisteret et iustius de Hermippo iudicium. Quodsi in hac commentationis parte iusto forte fuerim brevior, Luzacii doctus Lectionum Atticarum liber in caussa fuit, in quo circa hanc materiem eximia declarata est doctrina. At Luzacius Peripateticos tantum non omnes malevolentissimo persecutus est animo. Quo diligentius examinandum videbatur viri iudi-

cium, quippe cuius auctoritas ipsis etiam intelligentibus imposuisset. Nihilo tamen secius primus habendus est Luzacius, qui in illo opere, ceterum aliud quid profitente, accuratiorem de Peripateticis Alexandrinis seu Polyhistoribus illis e Lyceo profectis, instituit disquisitionem. Et ea omnino laus debetur Batavis, quod quae supersunt e Peripateticorum scriptis particulas, haud ita profecto exiguas, soli eruerunt, erutasque notis collustrarunt. Editus est eorum opera Aristoxenus, Heraclides Ponticus, Duris Samius, Clearchus Solensis. Memet haud immemorem, quae Ionsius olim et Bruckerus, duumviri de historia philosophica optime meriti, de Peripateticorum scriptis, particulatim duntaxat servatis, censuerant, ut Hermippo edendo me accingerem, excitavit atque cohortatus est W e l c k e r u s, animum addidit B r a n d i s i u s, praeceptores gravissimi iucundissimique. Exit nunc libellus, omnibus vixdum partibus et numeris absolutus; sed iuvenilem opellam faciliorem impetraturam esse veniam, spero atque confido. Dispersas Hermippi reliquias apud diversissimarum aetatum scriptores non erui fortasse omnes? Insciens quidem illud et invitus. Occultissimos enim locos maximeque avios abditosque studiosissime perlustravi; at facile evenire solet, ut in eo potissimum conniveas, quod observare maxime velis. Sed fragmentorum ordo a me institutus non omnibus forsitan probabitur? Mihi quidem ille (et cuivis, arbitror, vinculum quoddam, quo singula Hermippi scripta continentur, desideraturo,) et naturae videtur convenientissimus et ratione ipsa commendatissimus. Quam denique et qualem ad illa illustranda attulerim symbolam, docti et intelligentes videant existimatores. Quibus si non ingrata visa fuerit haec mea qualiscunque opella, summo afficiar et cumulabor gaudio.

Scribebam Bonnae Calend. Novembr. MDCCCXXXI.

HERMIPPI SMYRNAEI PERIPATETICI FRAGMENTA

COLLECTA, DISPOSITA ET ILLUSTRATA.

Rem sane ad studiorum incrementa utilissimam agunt, qui reliquias amissorum scriptorum colligunt, illustrant et edendo frequentant; nisi enim et harum, item ut superstitum integrorum operum peculiares editiones exstent, sed in illorum quasi corporibus inclusae commixtaeque circumferantur, veteris litteraturae materiam, suis nec finibus circumscriptam, nec partibus descriptam tenebimus, nec eius quasi fundum censere poterimus, ut sciamus, quousque pateat, quid eius cultum, quid incultum, quid cuiusque domini sit. Et est eiusmodi reliquiarum collectio inprimis apta argumento, in quo industrius adolescens progressuum suorum specimen prodat.

WYTTENBACH. POLYMATH.

PARS I.

DE VITA ET REBUS HERMIPPI.

Hermippus ille, de quo agere institui, patria oriundus erat Smyrna, Lydiae urbe celeberrima, unde Smyrnaei [1]) nomen accepit. Hinc patriae nomine vel addito vel omisso, ut ceteri fere omnes antiqui, promiscue citatur. Erat autem Smyr-

1) Athen. VII. 327. c.

na [2]) virorum clarorum fama nobilis [3]), inque septem illis urbibus habetur, quae Homerum suum quaeque sibi vindicabant. [4]) De parentibus maioribusve Hermippi nostri ne unum quidem ad nostram memoriam antiqui alicuius scriptoris pervenit testimonium; neque magis aetatem eius certis tenemus indiciis, siquidem neque Suidas, qui in ea definienda plerumque testis adhiberi solet, neque alius quisquam eius mentionem iniiciat. Quanquam quo circiter tempore vixerit, dubium esse nequit, etiamsi quando natus fuerit, quandove obierit, certo explorari non possit. Communi autem virorum doctorum sententia ad Ptolemaei Euergetae tempora refertur, qui usque ad quartum annum Olymp. CXXXIX. imperium tenuit, temporum rationi non satis convenienter, ut recte

---

2) Obtinet quaedam in scriptura vocis *Smyrna* discrepantia; multi enim *Zmyrna* praeferunt, cuius scripturae vetustatem inscriptiones, nummi optimique codices testantur, sicuti modo *Zmaragdus*, modo *Smaragdus*, nunc *Smintheus*, nunc *Zmintheus*, proferuntur. Equidem vulgarem scripturam secutus sum. Vid. Lucian. in Iudicio Vocalium c. IX., ubi litteram Σ querentem inducit. De tota hac re uberrime nuper egit, collectis aliorum de eadem re disputationibus, Augustus Weichertus in libro, quem inscripsit: „Poetarum Latinorum, Hostii, Laevii cet. cet. reliquiae," p. 169. sqq.

3) Commemoratur a Strabone l. XII. p. 580. schola Erasistratea, quae Smyrnae floruit; cf. Celsus praefat. l. de Medic. — Notus est in primis *Q. Smyrnaeus*, Posthomericorum scriptor, et *Bion*, itidem Smyrna oriundus. Tum *Theo* Platonicus (Fabric. Bibl. Gr. IV. p. 35. sq.); *Antiphanes* Smyrnaeus vel Rhodius, mediae comoediae poeta, Ol. XCIII. (Athen. IV. c. 16); *Diogenes*, discipulus Metrodori Chii, hic Democriti (Clem. Alex. Strom. p. 353. Pott.); *Gagianus* rhetor, citatus Phrynicho p. 418. ed. Lob.

4) Strabo l. XII. p. 554. XIV. p. 646., coll. Herod. I. 16. 149. Pausan. V. 3 Gell. Noct. Att. III. 11.

indicat Ionsius, minusque accurate. [5]) Illo eum tempore constituunt G. I. Vossius [6]) et Spencerus [7]); quorum ille ex Theophrasti Vita, quam scripsit Hermippus, hunc neque Theophrasto antiquiorem neque iuniorem fuisse concludit, quod in virorum clarorum Vitis, quas posteritati tradidit, nullum descripserit eorum, qui post Theophrastum claruerunt. Aequalem igitur Hermippum Theophrasto constituit; aperto, ut mox patebit, errore. [8]) Nam quum apud Diogenem Laertium [9]) Hermippus Theophrastum scribat in senectute lectica circumferri solitum fuisse, Pitanoeum allegat testem; unde igitur aut Theophrasti aetate omnino non vixisse, aut tam tenera fuisse, illo moriente, aetate videtur, ut notum illum vix habuerit. [10]) Quod itaque certo definiri nequit, probabili saltem coniectura erit statuendum. — Eadem igitur quam iniit Vossius via progredientes non ex Theophrasti, sed Chrysippi, Cleanthis discipuli, Vita ab Hermippo scripta [11]) (quae Vossii

5) De Scriptor. Hist. Philos. II. 19. 4.

6) De Histor. Gr. I. 16.

7) Ad Origen. c. Celsum p. 13.

8) In eodem versatur Casaubon. ad Theophr. Charact. p. 4. ed. Cantabrig. 1712. et Orellius ad Arnob. I. 52. Falso etiam, certe non satis definite, Bentleius in Diss. de Epistol. Socrat. p. 52. ed. Lips. Hermippum centum annis post Socratis obitum qui incidit in Olymp. XCV., magistratu Lachete, 400. a. C.) vixisse statuit, quo fere tempore Theophrastus floruit. — Hermippi aequales habes apud Lambecium Prodrom. Hist. Litter. cap. XIV.

9) Lib. V. segm. 41.

10) Animadvertit hoc iam *Humphredus Hodius* in diss. de LXX. Interpretibusc ontra Histor. Aristeae, Oxon. 1684. p. 54. — Obiit Theophrastus anno aetatis octogesimo quinto, Ol. CII. a. 2. Vide Laert. V. 40. ibique Menag. et eundem ad V. 47. Brucker. Hist. Crit. philos. Vol. I. p. 842. Ast. ad Theophrasti Charact. p. 40.

11) Diog. Laert. VII. 184.

fugerat memoriam), aetatem nostri colligimus. Inter eos enim, quorum Vitas composuit Hermippus, postremus est Chrysippus, unde iure merito, quoniam de posterioribus philosophis, si memoriae aliquid prodidisset, una saltem mentio alicuius de eo scriptoris facta fuisset, eum non ita multo post Chrysippi tempora vixisse statuendum est.[12]) Atqui Chrysippus mortem oppetiit Olymp. CXLIII.,[13]) annum agens octogesimum. Ista vero Olympiade exeunte Ptolemaeus Epiphanes, Philopatoris F., imperium excepit;[14]) sub cuius imperio Hermippi nomen celebri fama floruisse certum est. In computanda aetatis eius ratione adminiculo etiam inservit Athenaei testimonium, a quo *Callimachii* cognomine effertur,[15]) propterea quod Callimachi fuerit discipulus. Callimachum autem, quamvis grandi provectum aetate, Euergete imperante adhuc superstitem fuisse, testatum facit Suidas;[16]) unde veritati non absimile in Hermippi aetate definienda id proficere nobis videmur, eum Ptolemaeo Philadelpho in Aegypto regnante, et quatuor deinceps regum, Philadelphi, Euergetae, Philopatoris Epiphanisque, aetate sua attigisse imperium, atque admodum grandi, haud dubie Ptolemaeo Epiphane imperante, obisse senectute. Floruit igitur, si temporis constituendi periculum fa-

---

12) Ionsius l. l. II. 9. 4.

13) Diog. Laert. l. VII. segm. 184., a Vossio emendatus De Histor. Gr. I. c. 17.

14) Cf. Henrici Dodwellii Dissert. de Dicaearcho §. 22., ubi de regum Aegyptiorum serie chronologica.

15) Athen II. 59. f. V. 214. f. XV. 696. f.

16) S. v. *Καλλίμαχος*, tom. II. p. 232. (Add. Voss. de Histor. Gr. I. 18. p. 92. Ionsius l. l. II. 5. p. 159.) Suidae verba: *καὶ παρέτεινε* (sc. vitam) *μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου* documento inserviunt, Callimachum paucos tantum annos in vita fuisse superstitem regnante Euergete. Cf. Weichertus *Ueber das Leben und das Gedicht des Apollonius von Rhodus*, p. 17. sqq.

cere velimus, inter Olymp. CXXIX. vel CXXX., et Olymp. CXLVIII. — De mortis vero genere deque loco, quo ex vità decesserit, nihil nobis traditum est.

Attigimus modo, prodisse Hermippum e schola Callimachi, poetae et grammatici nomine clarissimi,[17]) unde ei nomen venerit *Callimachii*. Hoc igitur utrum ab ineunte iam aetate usus sit magistro, an adolescens demum ad litterarum studium applicuerit animum, veterum scriptorum de hac re testimoniis plane destituti, ancipites haeremus. Tametsi Hermippum, post magistri obitum plus quadraginta annis superstitem, mature in Callimachi disciplinam traditum fuisse, Ptolemaeo Philadelpho et Euergete imperium tenentibus, ut suspicemur, inclinat animus. — Relicta igitur urbe patria, Alexandriam concessit, „urbem bonarum rerum copia tum temporis florentissimam, totius terrarum orbis quasi forum, in quam confluebant, qui doctrinarum et litterarum studiis tenerentur." [18]) Itaque inde a saeculo tertio ante aeram Christ. vix litteris aliquis inclaruit, qui non Alexandriam adisset — *εἰς συναγυρμὸν σοφίας, εἰς ἣν καὶ ἡ πανταχόθεν συνέῤῥει νεότης τῶν περὶ φιλοσοφίαν ἐσπουδακότων.* — „Erat enim tum Alexandriae in communi provinciarum atque terrarum vastatione tutum et augustum praesidium ac receptaculum litteris divina sapientia Ptolemaeorum regia provisum." [19]) In Museo,[20]) quae pars regiae erat, viri docti „in Collegium ascripti" litterarum nonnisi studiis per otium liberrimum indulgebant. Quorum cum igitur non esset instituere iuvenes, eorum discipuli si qui nominantur, ii tantum intelligantur necesse est, qui prout huius aut illius viri docti disciplinae sese addicere luberet, ipsius scholam sectabantur, eius praeceptis

17) Strabo l. XVII. p. 838. a.

18) Heyn. De Genio Saeculi Ptolem., Opusc. Acad. I. p. 125.

19) Heyn. l. l. p. 89., coll. p. 120.

20) De Museo scripsit ipse Callimachus, quod opus intercidit. Vid. Ions. l. l. III. 2. et Heyn. l. l.

illustrandis, commentandis, dilatandis. Inde magnus ille discipulorum numerus pullulavit, qui ex magistrorum, quibus usi sunt, nomine cognoscuntur: *Ἀριστοφάνειοι* ab Aristophane dicti, *Ζηνοδότειοι* a Zenodoto, *Ἀριστάρχειοι* ab Aristarcho, *Κρατήτειοι* a Cratete, et quod denique rem nostram attingit, Callimachi sectatores *Καλλιμάχειοι* appellati sunt. 21) *Καλλιμάχειος* 22) praeter Hermippum nostrum etiam Ister cogno-

21) *Ἀριστοφάνειος* dicitur Artemidorus; itidem Callistratus Athen. I. 21. c. VI. 263. e. — Anaxagoras *γραμματικὸς Ζηνοδότειος* Diog. Laert. II. 15. *Ἀριστάρχειοι* nominantur Schol. Apoll. Rhod. I. 769. III. 37. Ita etiam Aristotelis sectatores dicuntur *Ἀριστοτέλειοι* Dion Cass. lib. 77. 7. Theodori discipulus *Θεοδώρειος* vocatur Athen. VI. p. 252. c. Ceterum non unica hac duntaxat forma in — *ειος* exeunte scholae alicuius sectatores significari, vix est, quod moneam. Isocratis *μαθηταὶ* modo *Ἰσοκράτειοι* modo *Ἰσοκρατικοὶ* (Dion. Halic. Epist. ad Cn. Pomp. p. 131., illud apud Diog. L. II. 15) appellantur. De Pythagoreis tres formae obtinent: *Οἱ μὲν αὐτῷ τῷ Πυθαγόρᾳ συγγενόμενοι ἐκαλοῦντο Πυθαγορικοὶ, οἱ δὲ τούτων μαθηταὶ Πυθαγόρειοι, οἱ δὲ ἄλλως ἔξωθεν ζηλωταὶ Πυθαγορισταί.* Auctor de vita Pythagorae in Photii Biblioth. p. 438. b. Bekk., coll. Theocrit. Schol ad Idyll. XIV. 5. et Suid. s. v. *Πυθαγόρας*. — *Stoici* vocantur *οἱ ἀπὸ Ζήνωνος*. Porphyr. de Abst. III. p. 294. Rhoer et quae sunt reliquae huiusmodi variationes. De illis Grammaticorum sectis vid. Wower. Polymath. cap. 18. Henr. Valesius de Critica, lib. I. c. II., ibique Burmann. Ionsius l. l. II. 5. 1. et II. 9. 3. Weichert. l. l.

22) Scribitur etiam *Καλλιμάχιος*, quibus in formis codices Athenaei fluctuant; itaque sine discrimine a Schweigh. receptae sunt. Cf. Schweigh. ad Athen. V. 213. f. Codex Athenaei praestantissimus A lib. V. p. 213. f. formam in — *ιος* exeuntem exhibet. Legitur etiam forma *Καλλίμαχος*, quam Cod. V in lib. V. 213. f. et Cod. B. in lib. XI. p. 478. praebet, unde Latine Hermippum Callimachum fecit Spencerus ad Origen. c.

minatur, utpote discipulus Callimachi.[23]) Ex reliquis autem Callimachi sectatoribus, quos plurimos fuisse sine controversia statui licet, nullus praeterea, quantum quidem novimus, diserto Callimachii nomine insignitur, praeter unum Polystephanum Cyrenaeum, qui ab Athenaeo *Καλλιμάχου γνώριμος* dicitur. Nam celeberrimi eius discipuli, uti Eratosthenes,[24]) immensae doctrinae gloria clarus, et Appollonius Rhodius, carmine epico insignis, denique Aristophanes Byzantius, de Homeri et Pindari carminibus optime meritus, nonnisi scriptorum testimoniis e Callimachi schola prodisse indicantur. Quanquam horum nonnulli magis ab ipsius auctoritate pependisse, quam re vera ei operam dedisse existimandi sunt.

Hic subit quaerere, fueritne Hermippus Callimachi auditor, dum hic Eleusine, Alexandriae vico, commoraretur,[25]) an posteaquam praefectus fuerit Museo. Ex Suidae enim testimonio colligi licet, Callimachum etiam pueros instituisse,[26])

Cels. p. 13. Artemidorus Grammaticus passim *Ἀριστοφάνειος* vel *Ἀριστοφάνιος* vocatur. Schweigh. ad Athen. I. 21. c. — Idem testatur Wallisius ad Porphyrii Commentar. in Ptolem. Music. (Oper. Mathemat. T. III. p. 189. Oxon. 1699.), in libris suis Mss. *Πυθαγόριοι* et *Πυθαγόρειοι* fere promiscue scribi, in Cod. D ut plurimum *Πυθαγόρειοι*, in Cod E plerumque *Πυθαγόριοι*. Saepius autem *Ἀριστοξένιοι* quam *Ἀριστοξένειοι*. De istis formis vid. Ill. Lobeck. ad Phryn. p. 371.

23) Suid. s. v. *Ἴστρος*, vol. II. p. 155.: *Καλλιμάχου δοῦλος καὶ γνώριμος*. Cf. Athen. XI. p. 478. b. VI. p. 272. b. VIII. p. 331. d. Eius scripta vid. apud Voss. de Hist. Gr. I. 15. p. 77. *Γνώριμος* autem de *discipulis* apud Diogenem et Athenaeum sexcenties legitur.

24) Cf. Seidel. Eratosthen. Geogr. fragm. p. VIII., laudatus Weicherto l. l.

25) Suid. s. v. *Καλλίμαχος· Πρὶν δὲ συσταθῇ τῷ βασιλεῖ (Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ), γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι, κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας.*

26) Suidas (Tom. II. p. 328.), ubi ita de Aristophane Byzantio: *Μαθητὴς τοῦ Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος*

unde ratione, uti mihi videtur, sane probabili, Weichertus [27]) evicit, Apollonium Rhodium puerili tantum aetate a Callimacho fuisse institutum, quoniam postmodum ab ipsius schola desciverit. Quod quidem quominus de Hermippo statuamus, ratio vetat inprimis chronologica. Etenim in Callimachi non prius disciplinam venisse censendus est, quam ubi hic provectior aetate, haud dubie Museo iam praeesset. Hoc autem munere Callimachum fungentem Ptolemaeo Philopatore imperante, primis eius successoris imperii annis, ex vita decessisse, quum supra demonstravimus, Hermippum vero ei tot annos superstitem sciamus, nihil impedit, quin hunc non iam in litteris tironem in Callimachi scholam abisse statuamus, eius doctrinae fama atque celebritate, ut hunc ipsum sibi eligeret magistrum, adductum. Fuit autem non eius modo in Museo auditor, sed ut mos ferebat, consuetudine etiam familiari ei coniunctior, id quod etiam de Apollonio Rhodio scimus; ut ex larga eius doctrina tanto uberiores percipere posset fructus. Quam etiamsi haud quaquam aequare potuerit, diligentiam atque assiduitatem aequavit; nam in permultis litterarum disciplinis elaboravit librosque composuit satis amplis finibus; ut ex hac saltem parte, ut ego interpretor, vix sit, quare magistro suo indignus habeatur. Etenim si Vossius [28]) Hermippum non paullo gratiorem erga magistrum, quam Apollonium Rhodium, censeat, velim attulisset argumenta. Notissima est illa simultas atque odium, quod Callimachum inter eiusque discipulum intercessit. Dico Apollonium Rhodium, ingrati nota inde signatum, propterea quod in ea quam institerat Callimachiae poesis via remanere fastidiens, novam sibi muniverit et a praeceptoris schola desciverit (cf. Weich. l. l.). Callimachus discipuli

---

τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε. Coll. Fabric. Bibl. Gr. T. I. p. 364. Harl. Weichert. l. l.

27) Libro supra laudato.

28) De Histor. Gr. I. 16.

impudentiam moresque ingratos ultus est carmine *Ibis* inscripto. [29]) Utut res haec sese habet, neque ex ullo veteris scriptoris testimonio, neque ex Hermippi, quae supersunt fragmentis, erui unquam posse constat, Hermippum malevolo in magistrum usum esse animo. Itaque illum a falso Vossii opprobrio prorsus immunem vindicare non dubitamus; nisi forte, quod in animum venit, e communi Peripateticorum, quibus accensetur, quasi contagio famosam illam malevolentiam et acerbitatem ne adversus Callimachum quidem inhibuisse Vossio visus fuerit.

Haec fere sunt, quae ex veterum scriptorum testimoniis valde profecto exiguis vitae rebusque Hermippi lucem affundere possunt. Fuisse Hermippum scholae Callimachiae addictum, modo vidimus; et uti ex eius scriptis apparebit, nunquam ab ipsa descivit. Haud enim quisquam eum ab illa alienum esse factum coarguere velit, propterea quod etiam *Peripatetici* nomine inclaruit. Hoc enim nomine nuncupatur ab Hieronymo Stridonensi, De Viris Illustribus, cap. I., et in Catalogo eorum, qui Aratum commentariis illustraverunt. (Cf. Petavii Doctrina Temporum Tom. III. p. 147. ed. Antwerp. 1703.) Quae, licet unica huiusce cognominis testimonia, plane sufficiunt, ut Hermippum iure merito Peripateticorum quoque sectae adnumerandum censeamus. Huc accedit, quod ex ingenii, quae condidit monumentis, clarissime patet, eum re vera in iis haberi oportere. At rei ipsius ratio postulare videtur, ut maiori luce eam collustremus.

In omnium tum temporis litterarum quasi sedem, Alexandriam, etiam Aristotelis sensim philosophia immigraverat; neque sola illa quidem, sed quaequae multa inclaruerant cele-

---

29) Suidas l. l.: *Ἔστι δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν, εἴς τινα Ἶβιν γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ Καλλιμάχου. ἦν δὲ οὗτος Ἀπολλώνιος ὁ γράψας Ἀργοναυτικά.*

britate; [30]) ut in una eademque urbe philosophorum tantum non omnium scholae quasi consociatae vigerent. Notissima sunt eaque nobilissima sodalitia illa, in Museo Alexandrino habita, (*συσσίτια*, *Αἰγυπτίων τράπεζα* vel *σίτησις*,) ubi viri docti mensa communi laute fruebantur; ita ut singulae philosophorum sectae ad singulos pertinerent convictus, qui erant Aristotelicorum, Platonicorum, al. Aristotelicorum seu Peripateticorum *συσσίτια* diserte commemorantur a Dione Cassio. [31]) Hermippum igitur, qui eo ipso tempore Alexandriae litteris vacabat, alicuius illorum sodalitiorum, et, utpote Peripateticum, Aristotelicorum participem fuisse, ut credam, facile inducor. Quamquam nullum inde argumentum petere in animo habeo, eum isti scholae totum adhaesisse ita, ut cunctam operam in ipsius nonnisi praeceptis perdiscendis, illustrandis, dilatandis collocaret. ,,Proprietas enim saeculi Ptolemaeorum, et quae illud subsecuta sunt temporum omnino, ad commentariorum in veteres scriptores atque etiam in Aristotelem copiam, multum contulit. Nam instructis regum munificentia magnis illis bibliothecis Alexandriae et Pergami accidit, — ut homines minus meditando, quam varios et multos legendo libros ingenium formare eruditionemque sibi comparare adniterentur. — Vix autem meliorem opportunitatem nancisci poterant viri docti variam lectionis copiam prae se ferendi, quam qualem commentandi in veteres scriptores, praesertim in Aristotelem, consilium subnatum iis afferret." [32]) Cur autem maiore Hermip-

---

30) Diog. Laert. II. 101. V. 58. VII. 185.

31) Lib. LXXVII. §. 7. Tom. II. p. 1293. ed. Reimar. Sustulit haec sodalitia Caracalla, insanus Alexandri M. imitator: *καὶ δὴ καὶ τοὺς φιλοσόφους τοὺς Ἀριστοτελείους ὠνομασμένους τά τε ἄλλα δεινῶς ἐμίσει, καὶ τὰ συσσίτια, ἃ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ εἶχον — ἀφείλετο, ἐγκαλέσας σφίσιν, ὅτι συναίτιος τῷ Ἀλεξάνδρῳ τοῦ θανάτου Ἀριστοτέλης γεγονέναι ἔδοξε.* Cf. Reimar. ad h. l. Heyn. De Saeculo Ptolem. p. 121. sq. Beck. *Allgem. Weltgesch.* T. II. p. 276.

32) Buhl. Aristotel. Oper. Vol. I. p. 281.

pus studio atque amore Peripateticorum doctrinam amplexus fuerit, nominis item celebritas in caussa fuisse videtur. Aristotelis vero philosophiam non ei notam solum, verum etiam singulari cura fuisse tractatam, ea de caussa contendere non dubito, quod ipsius Vitam litteris consignavit; quo nomine Peripateticis accensetur. [33]) Illud Hermippi opus Hieronymi tempore forsitan nondum perierat, qui eodem iure Peripatetici nomen illi indidit, quo Strabo [34]) Andronico Rhodio; ob excellentiam scilicet, quia Aristotelis et Theophrasti libros in lucem edidit eorumque legitimam philosophiam instauravit. Modo prorsus consimili Galenus, medicorum celeberrimus, qui Aristotelicae philosophiae sectator fuit Aristotelisque librum *περὶ ἑρμηνείας* et *Analyticum* commentariis illustravit, a Patricio (Discuss. Peripat.) inter Peripateticos numeratur. Nihilo tamen secius Hermippus noster magis e schola Callimachia Philologis, quam e Lyceo Philosophis accensendus est, uti ex operum eius reliquiis clare perspicitur. [35]) Nequaquam igitur haec Peripatetici nominis significatio ita est accipienda, uti Ciceronem legimus (Fin. V. 5.) de Hieronymo Rhodio dicentem: „Quem iam cur Peripateticum appellem, nescio: summum enim bonum exposuit vacuitatem doloris." Et mox de Diodoro: „Hic quoque suus est: de summoque bono dissentiens, dici vere Peripateticus non potest." Etenim tum Hermippum quoque, cuius scriptum philosophici ge-

---

33) Fabricius Bibl. Gr. Tom. III. p. 458. Harl. in Peripateticorum numero Hermippum recenset, „quia Vitam Aristotelis et de Theophrasti discipulis scripserit."

34) Lib. XIV. p. 655. c.

35) Id quod etiam Plut. Sulla c. 26. de omnibus antiquioribus Peripateticis refert: *Οἱ δὲ πρεσβύτεροι Περιπατητικοὶ φαίνονται μὲν καθ' ἑαυτοὺς γενόμενοι χαρίεντες καὶ φιλολόγοι, τῶν δ' Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου γραμμάτων οὔτε πολλοῖς, οὔτ' ἀκριβῶς ἐντετυχηκότες.* Coll. Strab. XIII. p. 609.

neris nullum adeo exstat, aut ex Peripateticorum numero amovere, aut hocce eius nomen in suspicionem vocare cogeremur. Non a re autem alienum videtur, pro instituti nostri finibus de Peripateticis Alexandrinis paucis disserere, siquidem inde etiam Hermippo nostro fore ut lux affundatur spero. Quod quidem doctissime disputatum est a Luzacio in libro eximio, qui inscribitur: „*De Digamia Socratis*;" eum igitur ducem potissimum secuturus sum.

Nullus antiquorum Peripateticorum, qui aliqua nominis laude inclaruit, invenitur, qui non voluerit idem et Philosophus videri et Philologus et Dialecticus et Grammaticus et Musicus, omnes variarum rerum cognitionem, Graecis *πολυμάθειαν* dictam, affectantes. Aristoteles vero, uti Peripateticorum princeps,[36] ita etiam *πολυμαθείας* velut parens fuit.[37] „Hic sine aemulo clarus, quantum memoria hominum exstat, pari studio inexsuperabili mentis acie polymathiam et philosophiam excoluit, quod et libri eius testantur, et tituli illorum, quos iniuria vetustatis vicit et nobis ad invidiam ostendit."[38] Magistri autem exemplum secuti sunt discipuli, qui „Philosophiam cum studiis rerum naturalium, mirabilium etiam et occultarum, cum arte Historica, Geographica, Grammatica, Rhetorica, Poetica, Musica, sic coniungebant, ut schola Peripateticorum *τῆς ἐγκυκλίου παιδείας* prae reliquis omnibus veluti quoddam fuerit seminarium."[39] Ista vero *πολυμάθεια* seu *πολυϊστορία*, saeculo Ptolemaeorum propria,[40] non in Peri-

---

36) Cic. de Fin. V. 3. et 4.

37) Luzac. Lect. Att. II. 8. *Ἀριστοτέλης πολυμαθέστατος* Athen. XV. 696. b.

38) Wower. De Polymathia II. 12. (Gronov. Thes. Antiquitat. Gr. Vol. X. p. 1015.) Heyn. l. l. p. 105.

39) Luzac. l. l.

40) „Saeculi Ptolemaeorum genius valde notabilis in litterarum

pateticis solum istius aevi conspicitur, sed omnes quosquos scriptores occupatos tenebat. Bibliothecarum opulentia studium multa legendi facile excitavit; inde multiplex emanabat scientia: quocirca non tam ingeniosos, quam larga ac multiformi doctrina claros huiusce aevi homines invenias. Itaque factum est, ut Grammaticae studium omnium animos teneret. „Hanc autem dico Grammaticam, [41]) antiquitatis indagatricem, quae hominum, temporum rerumque gestarum monumenta memoria et iudicio complectitur; cuius scientiae incredibilis suavitas semel percepta per duo fere secula hominum mentes ita tenuit, ut nulla vehementius, quam Grammaticae, studia vigerent; illique dicti Grammatici, quorum studia tum fuere valde clara, eorumque numerus ingens; nec fuit facile quisquam aut Philosophus aut Mathematicus aut alius doctus homo, qui non esset Grammaticus. Adeo multa lectio variarumque, inprimis priscarum, rerum cognitio in laude et honore habebatur." [42]) Eodem igitur numero habendi et *Philologi* et *Polyhistores* et *Grammatici* et *Peripatetici*. Luculentus est inprimis de Peripateticorum polyhistoria Ciceronis locus, [43]) quem, quoniam in rem nostram ut plurimum facit, totum transscribimus: „Audebo te" (Piso loquitur sub Ciceronis persona) „ab hac Academia nova ad veterem illam vocare: in qua non ii solum numerantur, qui Academici vocantur, — sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te, quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad

---

studio, polymathiae et polyhistoriae amore, in historiis rerum mirabilium, novarum et insolitarum," Heyn. l. l. p. 115.

41) Lobeck. ad Phrynich. p. 481.

42) Heyn. l. l. p. 98.

43) De Fin. V. 3.

ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poetae, musici, medici denique ex hac tanquam ex omnium artium officina, profecti sunt." Et paullo post: „Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars coelo, mari, terra (ut poetice loquar) praetermissa sit. Quin etiam, cum de rerum initiis omnique mundo locuti essent, ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent: maximam materiam ex rebus per se investigatis ad rerum occultarum cognitionem attulerunt." Variarum igitur rerum studium e Lyceo Philosophis potissimum affectatum, ex Aristotelis priorisve alicuius Peripatetici, quos imitabantur, exemplo, si verum quaerimus, ortum est. 44) Qui proximi fuerunt Aristoteli, Dicaearchus et Demetrius Phalereus, quam possent latissime doctrinae suae fines extendebant; quorum exemplum omnes quotquot subsecuti sunt Peripatetici aemulati, ad idem polymathiae fastigium adspirabant. Idem autem scriptorum genus, quo maiorum e schola Peripatetica aliquis famam gloriamque adeptus erat, plerumque amplectendo, in eadem materie elaborabant, seu quae exstabant scripta, commentariis illustrantes, seu idem argumentum ratione nova pertractantes. Ita Theophrastus aemulum habuit in polygraphia Durin Samium cum fratre Lynceo, et Aristoxenum; hunc Demetrius Phalereus et Phanias imitati. Aristoxeni vestigiis ab altera parte institerunt Dicaearchus, Heraclides Ponticus, Hieronymus Rhodius, Clearchus Solensis, Chamaeleon, Satyrus, Sotion, alii. His accensendus etiam sine dubio Hermippus, quem tantum abest, ut ab illa polymathiae et polygraphiae affectatione liberum fuisse censeam, ut eum eisdem ac ceteros e Ly-

44) De Nicolao Damasceno ita Suidas s. v. *Νικόλαος· Ζηλωτὴς γὰρ Ἀριστοτέλους γενόμενος καὶ τὸ ποικίλον τῆς περὶ τον ἄνδρα παιδείας ἀγαπήσας.*

ceo Philologos et dotibus et vitiis obnoxium habeam. Ex multis ac variis librorum eius titulis plane perspicuum fit, quantopere latae multarum rerum doctrinae studiosus fuerit, quaque usus sit, quae Peripateticis omnino non denegatur, in componendis libris sedulitate. Quod studium nescio an e Callimachi praeceptoris exemplo pariter fluxerit Hermippique animum tenuerit. Etenim ne Callimachum quidem ipsum, Grammatici nomine multaque clarum doctrina, a saeculo, quo vixerit, abhorruisse crediderim. Auget et comprobat nostram sententiam Porphyrius, qui ad Iliad. Ψ. 422. Callimachum vocat πολυγράμματον: cf. Villoison. Proleg. in Homer. p. XXIV. Quocum non pugnat, quae fertur Callimachi βραχυλογία, de qua post Spanhem. ad Callim. H. Apoll. 112. doctissime, ut solet, disputavit Naekius in Dissert. de Callimachi Hecale p. 5. med. Quo nomine Hermippum, etiamsi esset ignotum, fueritne Peripateticus, an minus, Polyhistoribus accensere, propterea quod e Callimachi schola prodierit, minime dubitarem, quum eum magistri, polygraphiae amantis, imitatorem et aemulum evasisse suspicari liceret. — Iam vero ad scriptorum Hermippi recensionem nos accingeremus, nisi quaedam necessario praemonenda viderentur; ac primum quidem paucis de labe, qua variae illa doctrinae captatio animos infecit. Vaga enim illa variarum rerum scientia, quae materiem ex studio quam quisque posset plurima legendi profectam et vix aliquo iudicio electam, animo concoquere non valebat, „ingenia obruebat potius quam alebat" (πολυμάθεια νόον οὐ διδάσκει). „Nusquam enim," inquit Seneca, [45] „nusquam est qui ubique est, et lectio multorum auctorum atque omnis generis voluminum aliquid vagum habet et instabile, — animum

---

45) Epist. XI. — Πουλυμαθημοσύνη, τῆς οὐ κενεώτερον ἄλλο, Timo Sillogr. apud Athen. XIII. 610. b. — Πολυμαθέες νόον οὐκ ἔχουσι, Democritus apud Stob. Serm. IV., coll. Heraclit. ap. Athen. XIII. 610. b.

distrahit librorum multitudo." Vix igitur ex ista copiosa splendidaque eruditione sectae Aristotelicae propria (quanquam plurimis attulit famam hominum doctorum [46]) illa, quae in scriptore bono desideratur, *ἀκρίβεια* emanare et nasci potuit. Etenim magis, si quid scriberent, ut ostentarent *πολυϊδρείαν*, quam accurationis essent studiosi, adnitebantur. Quamobrem a vanitate, ut magnam sui famam relinquerent, haud erant liberi; cuius exemplum Cicero (de Orat. II. 18.) Phormionem exhibet, et Heracliden Ponticum noster Hermippus apud Diog. L. V. 90. Hinc illae fabellae, quibus referta sunt eorum scripta, falsa mixta veris, certa incertis, in testimoniis negligentia, crebra plagia suppresso veri germanique auctoris nomine, pleraque diligenter conquisita quidem illa, at parum iudicio perpensa. Quod qualem quantamque toti rei litterariae, quae ab iis excolebatur, noxam attulerit, nemo est, qui non perspiciat. Certum est, unum eundemque, quamvis uberrimis dotibus insignem, in rebus plurimis eisque diversissimis, pari modo excellere nequire; dum enim in hac disciplina elaborat, totusque quasi habitat, aliam negligit, si minus, leviori cura amplectitur. Itaque illis e Lyceo Philologis, id quod Alexandrinis scriptoribus in universum, evenit, ut quisque esset et larga eruditione et multis libris clarus, verum ultra mediocritatem non assurgeret. Scriptorum numerus frequens quidem ille, at parum ingeniosus, non tam inveniendi studio trahebatur, quam iam inventa conquirendi [47]) commentandique. Itaque nullus fere exstitit, qui primas teneret; et

46) Hieronymum Rhodium *doctum hominem* et suavem appellat Cic. de Fin. V. 5. „Dicaearchum cum Aristoxeno — *doctos sane homines*, omittam," Tusc. Disp. I. 18., coll. I. 31. et de Off. II. 5. — Idem Heracliden Ponticum, *viri docti* (de Divin. I. 23.), imo *viri inprimis docti* (Tusc. Disp. V. 3) nomine insignit.

47) *Σάτυρος δ' ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος Ζ ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ*, Photius Bibl. Ecl. CXX. p. 251.

eruditissimus Callimachi discipulus Eratosthenes, et grammaticus et poeta et philosophus insignis,[48]) suae aetatis *Βῆτα* est appellatus, propterea quod „omnibus in disciplinis secundas teneret, quum, si in una habitare maluisset, primas haud dubie fuisset adeptus." Id quod in Peripateticos omnino cadit. Uti autem non unice culpandi esse videantur, tanquam propter variae doctrinae captationem severum litterarum studium fastidirent, quodque levi opera sese offerret, solummodo amplecterentur, illud iis patrocinari potest, (si hoc est patrocinium,) quod suae aetatis hominibus magis legendi et grata atque iucunda cognoscendi, quam intelligendi iudiciique subigendi cupidis, operam quasi sublevaturi, ne dicam lenocinaturi, sese ad ipsorum consuetudinem, hoc est ad aetatem suam, accommodarent. Quidni igitur illas fabellas, quae in Peripateticorum scriptis magno ipsis vitio vertuntur eorumque fidem adeo infirmant, illud malevolentiae vellicationisque studium,[49]) cuius tantum non omnes e Lyceo philosophi coarguuntur, illam denique credulitatem, quae certa incertis veraque falsis conglutinabat, venia condonare verecundemur, quum nobis veram et luculentam quasi effigiem istius temporis hominum referant? Quanquam probe scio, severum iudicem in his non acquiescere. Ego vero facile mihi persuadeo, istam credulitatem et levitatem hominum Alexandrinorum in rebus sive mythologicis sive historicis sive philosophicis (qua de re nunc in universum, de Hermippo peculiariter suo loco dicetur) in caussa fuisse, cur Peripatetici ea potissimum eligerent, quae legentium allicerent animos, et si quid novi quispiam expromere posset, fide bona litteris mandaret. Itaque etiam in disciplinis, usque eo parum cultis, uti astrologicis et magicis, studium operamque

48) Strabo l. XVII. p. 838. a.

49) Luzac. Lect. Att. II. 6. p. 129.

collocabant. Verissime Heynius[50]) de historica huius temporis arte iudicat. „Historia," inquit, „vitae magistra in rhetoricis areolis se iactavit et delectationem scribendi finem constituit, hancque ipsam non in gravitate rerum et utilitate, sed in rerum figmentis oratoriaque exornatione collocavit." Iuvabit hic de Peripateticorum fide historica Meinersii etiam proferre iudicium, qui[51]) in iis haud minus credulitatem, quam audacter fingendi licentiam insignem obiurgat. „Temeraria," ait, „confidentia proxima post Aristotelem primosque illius discipulos aetate maximorum virorum fidei derogatum esse: veras narrationes fuisse detortas, fabulas fabulosiores factas, atque ex his illisque nova miracula conficta; quin coacti fuerint illi, qui primos historiae philosophicae auctores sint consecuti, nova invenire aut vetera adulterare, si ea, quae dudum cognita essent, repetere nollent. Quaecunque, vera an falsa, quae ex traditionibus, rumoribus vulgi scriptisve libris congeri possent, — omnia iam ab Aristotele eiusque, dignis an indignis, discipulis exhausta fuisse. Igitur iunioribus, qui priorum narrationes neque ad iudicium vellent revocare, neque nuda repetitione iterum apponere, nihil reliquum fuisse, nisi res antea non auditas ex ingenio confingere, aut, quae ab aliis narrata fuissent, in novas formas mutare."

Nihilo tamen secius, quantumvis exigua fuerit cura, ac dubia habeatur Peripateticorum fides, in maius excedunt ipsorum monumenta, quibus antiquitatem graecam et historiam philosophicam ditarunt. „Dici vix potest, quanta nobis facta sit iactura deperditis illorum scriptorum operibus, qui ex Aristotelis, summi philosophi, disciplina profecti, plurimas doctrinarum partes litterarum monumentis consecrarunt. Gravi

---

50) L. l. p. 90.

51) *Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wiss. in Griechenl. u. Rom.* Tom. I. p. 182. et 234., coll. Luzac. Lect. Att. II. 25. p. 234., cuius hac versione utor.

ergo in errore versari mihi videntur, qui aut praeiudicata opinione, aut nimis aliorum philosophorum amore capti, auctoritatem Peripateticorum in dubium vocare et labefactare conantur. Imo potius sic existimo, vel maximam illorum esse auctoritatem, summaque diligentia operum eorum fragmenta esse colligenda, neque video, si quis integra ipsorum scripta non desiderat, quaenam sit desideraturus." [52]) In qua Bruckeri sententia, etiamsi immorari caeterum nolim, tamen non possum dissimulare, eam mihi ad conquirendas Hermippi reliquias, ad quas iam prius accesseram, easque studiose perpoliendas animum addidisse. Eiusdem ac Bruckerus rem habuit momenti Ionsius, qui in erudito opere De Scriptor. Hist. Phil. I. 16. et sqq. nobilissimorum Peripateticorum reliquias si non collegit omnes, at saltem indicavit, ubinam dispersae iaceant. Eius opera, [53]) quam etiam Hermippo impendit, et Spenceri [54]) magno opere sum adiutus. — Haec quidem hactenus.

Antequam autem huic commentationis parti finem imponamus, Hermippi nostri cognomines ut recenseantur, superest. Quorum numerus etiamsi sit exiguus, tamen quia in scriptis cuique adiudicandis a viris doctis nescio quo fato saepe sunt confusi, operae pretium facturus esse mihi videor, si deinceps illos enumerabo.

Antiquissima nominis Hermippi mentio videtur esse apud Herodotum lib. VI. c. 4., ubi Hermippi Atarnitensis (*Ἑρμίππου ἀνδρὸς Ἀταρνείτεω*) legatio ad Persas, Histiaei iussu

---

52) Brucker. in Diss. Praelim. Histor. Crit. Phil. Peripateticorum reliquias studiose colligendas aeque commendavit nuper Schuchius in docta Censura Diatribarum de Phania Eresio et Clearcho Solensi Peripateticis, scripta in Iahnii et Seebodii Annalib. Tom. II. fasc. I. p. 14. a. 1831.

53) L. l. II. 9. p. 191. sqq.

54) Ad Origen. c. Cels. p. 13.

facta, commemoratur. Est autem Atarneus Mysiae oppidum; cf. Herod. VII. 43.

Post hunc Hermippus Atheniensis, veteris Comoediae poeta, nominandus est, qui paullo ante bellum Peloponnesiacum vixisse videtur. Eupolide certe et Aristophane prior, gravis et acer Periclis obtrectator; nam Aspasiae secundum Plut. Pericl. 32. circa Olymp. LXXXVI. 4. impietatis litem intendit, ipsique Pericli conviciatus est. Scripsit testante Suida quadraginta comoedias, quorum tituli servati sunt decem: *Ἀθηνᾶς γοναὶ*, *Ἀρτοπώλιδες*, *Δημόται*, *Εὐρώπη*, *Θεοὶ*, *Θεσμοφόροι*, *Κέρκωπες*, *Μοῖραι*, *Στρατιῶται*, *Φορμοφόροι*. Nominantur praeterea Dimetri Iambi et Tetrametri. Fabulam *Κόθορνοι* autem a Polluce VII. 202. laudatam et a Meursio [55]) olim Hermippo Comico adiudicata, Philonidae esse, secundum Cod. Falck., ex eodem Polluce IX. 29. constat. [56])

Sequitur Hermippus Berytius, Philonis Byblii discipulus, servili genere prognatus; vixit Hadriano imperante. Suidas s. v. *Νικάνωρ*, *ὁ Ἑρμείου γραμματικὸς γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος, ὅτι καὶ Ἕρμιππος ὁ Βηρύτιος*. Erat multi clarique nominis. Scripta eius citantur a Suida s. v. *Ἕρμιππος*, coll. Steph. Byzant. s. v. *Ῥάβεννα*. Clem. Alex. I. 132. VI. 291. Sylb. Theodoret. Serm. XII. de Virt. Act. Suid. s. v. *Σίβυλλα Ἀθην.*, *Παρθένιος* et *Ἅβρων*; unde sua derivavit Ioann. Zonaras Vol. I. p. 7. Tittm. De somniis eorumque interpretibus quinque libros composuit, testante Tertulliano de anima c. 46., quo nomine scriptoribus *τῶν Ὀνειροκριτικῶν* adnumerandus, uti eiusdem aetatis Artemidorus Ephesius seu

---

55) Bibl. Att. in Gronov. Thes. Antiquit. Gr. Vol. X. p. 1510. sqq.

56) Secutus sum Meinekii recensum in Quaest. Scenicar. Specim. I. p. 31. Fabulam *Μίραι* apud Athen. XI. 476. d. vitio Codicis deceptus finxit Meursius l. l., iure reticuit Meinekius; cf. Schaef. ad Gregor. Corinth. p. 18. Scripsit *Μοίρας* etiam Achaeus Eretriensis tragicus, Athen. VII. 277. b.

Daldianus. Vid. de Artemidori aetate Vales. Emend. III. 9. Quae apud Etym. M. s. v. $\Delta\varrho o i\tau\eta$ sub Hermippi nomine leguntur, Berytensis sunt, ut confirmat Zonarae Lexicon sub eadem voce. — Nomine Berytii praeterea Taurus, philosophus Platonicus, sub Antonino Pio, et Lupercus, qui paullo ante Claudii tempora vixit, a Suida allegantur. Vid. Needham. ad Geopon. Prolegom. p. LIII. Adde M. Valerium Probum Berytium Grammaticum, laudatum Sueton. de Illustr. Gramm.

Hermippus, nescio quis, citatur in S. Ioannis Damasceni Parallelis p. 118. ed. Michael. le Quien.

Hermippus, Dionysopolitarum princeps, allegatur a Cicerone lib. I. epist. 2. ad Q. fratrem c. 2., ipsius aequalis et familiaris. [57]) Idemne sit Hermippus, Temnitarum legatus, cuius a Cicerone Orat. p. Flacco c. XIX. sqq. mentio infertur, affirmare quidem non ausim, vero tamen simile videtur, quoniam eum „pudentissimum atque optimum virum, veterem amicum atque hospitem suum" praedicat.

Hermippus Cyzicenus Παιᾶνας scripsit in Antigonum et Demetrium, teste Athen. XV. 697. a. Sed iidem etiam Hermocli cuidam tribuuntur; ut dubitari possit, uter verus eorum fuerit auctor. Utrobique aut Hermippum aut Hermoclem nominari debuisse, putat Schweighaeus. in Indice ad Athen. p. 133.

Hermippus denique Lysimachius, Lysimachi fortasse filius, tibicen clarissimus, notus ex Athenaeo XV. 615. b.

Hermippi Cyziceni depravatum vel saltem ambiguum nomen ansam mihi praebet, ut de Hermippo Smyrnaeo hoc loco verbo moneam, quomodo librariorum culpa ipsius nomen in

---

57) „Quoscunque de te queri audivi, quacunque potui ratione placavi. Primum Dionysopolitas, qui erant inimicissimi, lenivi: quorum principem Hermippum non solum sermone meo, sed etiam familiaritate devinxi." Erat Dionysopolis Phrygiae urbs, quae ad Ciceronis provinciam Ciliciam pertinebat. Cf. Plin. H. Nat. V. 29, post init. et Steph. Byzant. s. v.

nonnullis Codd. vitiatum sit; quod quidem viros doctos adeo fefellit, ut varios eiusdem operis scriptores fingerent. In primis Gerh. Ioann. Vossius saepius in hac re lapsus est. Nam ut alios taceam errores, quos sustulit Ionsius l. l. I. 2. 2., etiam in Hermippi nomine falsus est, depravata, ut videtur, scriptura deceptus. Ex Harpocrationis enim verbis in *Ἰσαῖος*: *καθά φησιν Εὔριπος ἐν δευτέρῳ περὶ Ἰσοκράτους μαθητῶν*, novum finxit scriptorem Euripum, [58]) quem errorem evitasset, si Athenaeus (VII. 342. c. X. 451.) et Dionysius Halicarn. (de Isaeo iud. c. I.) ipsius memoriae obversati fuissent, qui idem opus sub Hermippi nomine diserte exhibent. Quo in errore tam obstinate egit Vossius, ut, dum Meursii [59]) in voce *μαθητῶν* ex *μαθημάτων* emendationem amplecteretur, in altera eaque graviori conniveret. — Apud Diogenem Laertium VI. 29. similis error occurrit; ubi Menippus *ἐν τῇ Διογένους πράσει* pro Hermippo hodieque in editione Meibomiana legitur. Codices enim quidam manu exarati praebent *Ἕρμιππος*, teste Sambuco, qui eam lectionem est amplexus, uti refert Menagius ad h. l., et est Hermippus Smyrnaeus, qui scripsit de Servis eruditione claris, cuius operis pars quaedam illo titulo insignita fuit. — In Hygini denique Poeticon Astronom. lib. II. c. 4. p. 431. ed. Staveren. Hermippi nomen prave in uno Codice Hermymphus legebatur.

Restat, ut duo Pseudo-Hermippos paucis commemorem, quorum nomina duo dialogi mentiuntur, alter ad scientiam naturalem pertinens, ad astrologicam alter. Illius dialogi partem eam, quae ad historiam doctrinae de sexu plantarum spectat, e Codice bibl. Mediceae descriptam, praefixam invenimus in Theophrasti Eresii editione Schneideriana Lips. 1818. Tom. I. p. XXVII. sqq. — Hic est Platonici seu Chri-

---

58) De Histor. Gr. IV. lit. E.

59) Lect. Att. V. 21. (Gronov. Thes. Vol. V. p. 1898. d.)

stiani scriptoris cuiusdam, Graeca prosa compositus, et in duos divisus libros, sub titulo Hermippi, qui in dialogo colloquens inducitur. Utrumque scriptum eiusdemne scriptoris sit, an variorum, investigatu difficilius est neque multum attinet. Hoc tamen suspicari licet, Hermippi nominis in illo scriptorum genere celebritatem in caussa fuisse, ut eius nomine isti dialogi inscriberentur. An vero ipse Hermippus Smyrnaeus ob scientiam quoque naturalem inclaruerit, omnibus, si unam exceperis Aeliani mentionem, de hac re testimoniis destituti, explorare nequimus, etiamsi ex illorum dialogorum titulis verisimillimum videatur.

PARS II.

DE LIBRORUM HERMIPPI RELIQUIIS.

Prima commentationis parte absoluta, ad alteram eamque ampliorem iam progredimur, in qua ingenii quae condidit monumenta enumeranda et illustranda sunt. Quodsi ex horum reliquiis, quas tanquam tabulas e naufragio dissolutas et disiectas, colligi et consarcinari ex diversissimarum aetatum scriptoribus necesse est, argumentum constituitur, longe maxima eius librorum pars historici seu biographici fuit generis. Hanc igitur primo loco ponimus; altero libros de Magis seu de arte magica; tertio scripta generis grammatici, quarto geographici, quinto quae ad historiam naturalem pertinebant, sexto musici et ultimo denique loco scripta astronomici generis. Eorum autem scriptorum, quae postremo

loco nominata sunt, etiamsi tantummodo singula fragmenta absque tituli indicio ullo restant, argumenti ratio illam ipsis sedem assignare videtur. An vero praeterea in poesi Hermippus elaboraverit, id quod ab Alexandrino scriptore facile exspectaveris, ne unum quidem huius rei testimonium eruere licuit.

Dictionem Hermippi ad Callimachi praeceptoris exemplum formatam fuisse suspicor, quanquam neque inde quidquam cognosci licet, perditis omnibus, quos prosa oratione composuit Callimachus, libris. Ex fragmentis Hermippi ipsis, de vera germanaque dictionis specie et forma, siquidem eius libros *αὐτολέξει* non habemus, iudicari utique nequit. Sed valent haud dubie in Hermippum quoque Heynii verba: „Habent scriptores et inprimis poetae Alexandrini, antiqui quidem illi, suam elegantiam, amoenitatem et amabilem simplicitatem quandam, non horridam illam et incultam, sed mundam et politam eoque magis notabilem, quo obscuriorem eos diligentiam in aliis rebus posuisse apparet, sed communem tamen cum omnis istius saeculi vitae elegantia. Miramur adeo in iis et laudamus orationem tersam, nitidam, puram et elegantem:" — et quae de Aristoxeno et Hieronymo Rhodio observat Luzacius[60]: „Et vero haec praecipua dos istorum Peripateticorum, qui a Lyceo discesserunt et Philologiam cum studio sapientiae voluerunt coniungere, — fuisse videtur, ut perspicua ac dulci oratione uterentur, ea tamen dulcedine ac iucunditate, quam in Aristone etiam reperit ac descripsit Tullius de Fin. V. 5." —

I. Secundum igitur ordinem a nobis indicatum, primum historici argumenti scripta percensebimus, primo loco, uti rationi consentaneum est, illa ponentes, quoniam hoc genere famam suam Hermippus fundavit. Titulus generalis historici eius operis erat *Περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων*

60) Lect. Att. II. 24. p. 224.

λόγῳ, uti intelligitur ex Etym. M. verbis s. v. *Ἀπάμεια*, quibus tanquam fundamento uti liceat. [61]) „*Ἀπάμεια, πόλις Βιθυνίας, πρότερον Μυρλέα καλουμένη, ἣν λαβὼν δῶρα παρὰ Φιλίππου τοῦ Δημητρίου ὁ Ζηίλας, μετωνόμασεν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς Ἀπάμας. Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων λόγῳ. οὕτως Ὦρος.* [62]) Comprehendebat scilicet hoc opus *Vitas Virorum eruditionis gloria illustrium*, [63]) quod inprimis laudat Hieronymus in

---

61) Cf. Menag. ad Diog. Laert. II. 55. Ionsius l. l. II. 9. 3., cui hocce opus ad aliud similis nominis De claris servis (*περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων*) an referri debeat, ambigenti non adsentior.

62) Orus seu Orion saepius laudatus Etym. M., Anthologiae sententiarum scriptor, Suida teste s. v., auctorem huius de Apamea urbe mentionis Hermippum nominans, fontem ipsum adisse videtur, siquidem etiam Strabo l. XII. p. 563. d. eadem et accuratius refert, quem propterea nostra explicantem facere liceat. „*Κατέσκαψε δὲ τὴν Κίον ὁ Φίλιππος ὁ Δημητρίου μὲν υἱὸς, Περσέως δὲ πατὴρ, ἔδωκε δὲ Προυσίᾳ τῷ Ζήλᾳ συγκατασκάψαντι καὶ ταύτην καὶ Μύρλειαν ἀστυγείτονα πόλιν, πλησίον δὲ καὶ Προυσιάδος οὖσαν. ἀναλαβὼν δ' ἐκεῖνος ἐκ τῶν Ἐρειπίων αὐτὰς, ἐπωνόμασεν ἀφ' ἑαυτοῦ μὲν Προυσιάδα πόλιν τὴν Κίον, τὴν δὲ Μύρλειαν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆς γυναικός. οὗτος δ' ἐστὶν ὁ Προυσίας ὁ καὶ τὸν Ἀννίβαν δεξάμενος.* — De scriptura *Κίος* pro *Κῖος* et inprimis vocis *Ζήλᾳ* consulendus Tzschukius ad h. l. — Cf. Steph. Byzant. s. v. *Ἀπάμεια* cum Berkelii nota. Suid. s. v. *Μυρλεανός*, Tom. II. p. 589 Cellar. Geogr. Antiq. lib. III. c. VIII. Vol. II. p. 241. ed. Schwarz. Optime vero et accuratissime de Suidae loco et aliis Apameis cognominibus disseruit Petr. Burmannus ad Valesii Emendat. lib. II. c. XVIII. — Quanam vero sede collocanda sit in Hermippi fragmentis illa de nomine Apameae urbis origine mentio, exputari hodie non licet.

63) Plurimum hic profecisse Hermippum arbitror e Callimachi praeceptoris opere Suidae laudato: *Πίναξ παντοδαπῶν συγ-*

Praef. de scriptor. Eccles. c. I. „Hortaris," inquit, „Dexter, „ut Tranquillum sequens, ecclesiasticos scriptores in ordinem „digeram, et quod ille in enumerandis gentilium litterarum „viris fecit illustribus, id ego in nostris faciam, id est, ut „a passione Christi usque ad decimum quartum Theodosii „imperatoris annum omnes, qui de scripturis sanctis memo- „riae aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt qui- „dem hoc apud Graecos Hermippus Peripateticus, An- „tigonus Carystius, Satyrus, doctus vir, et longe omnium do- „ctissimus Aristoxenus Musicus: apud Latinos autem Varro, „Santra, Nepos, Hyginus et, ad cuius nos exemplum vis pro- „vocare, Tranquillus."

Nomen operis quod diximus generale alias *Βίοι* profertur, [64]) quae eiusdem operis appellatio posterior longe est frequentissima. In hoc autem litterarum genere, i. e. in virorum sapientiae et litterarum laude bellove illustrium fatis moribusque describendis, maxima pars Peripateticorum versata est, et non philosophorum solum et poetarum, sed etiam ducum Vitas et cuicunque illustre nomen erat, diligentissime multisque voluminibus pertractabant. Hinc magnus ille Biographorum e schola Peripatetica profectorum numerus, et librorum ubertas, quorum varios titulos, *Βίοι, Περὶ βίων,* [65]) *Περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, Περὶ ἐλλογίμων ἀνδρῶν, Περὶ τῶν*

γραμμάτων, sive *Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις ρκ'*, et operis sui titulum Callimachio huicce accommodasse. De Callimachi tabulis scriptorum cuiusque generis vid. Schweigh. ad Athen. VI. 244. a. Ions. l. l. II. 4. Ruhnk. ad Callim. p. 440. et 470. ed. Ern., laudatus Naekio in Diss. de Hecale p. 5.

64) Diog. Laert. I. 33. II. 13. V. 2.

65) Ita Clearchi opus dicitur ap. Athen. XII. 514. d. 548. c. XV. 681. c., alibi; cf. Schweigh. in Athen. Animadvers. tom. X. p. 93., laudatus Marxio ad Ephor. p. 262. *Σάτυρος ἐν τῷ περὶ τοῦ βίου* Athen. XIII. 557. c.

φιλοσόφων αἱρέσεων κ. τ. λ. ex Athenaeo, Diogeneque Laertio potissimum cognoscas. In primis autem virorum, qui in philosophia celebritatem nacti erant, historiam enarrabant, quapropter, si exstarent hodieque ipsorum opera, historiae philosophicae maximi essent momenti. Haud dubie a Peripateticis Alexandrinis etiam perpetuae philosophorum historiae conscribendae initium factum est, qui tanta fontium, quos adire licebat et a quibus non facile recedebant, 66) ubertate adiuti, facili opera institutum opus usque ad sua tempora perducere poterant. 67) Magno illis erant adminiculo philosophorum ipsorum scripta de locis philosophicis singularia; maximo autem libri *Περὶ βίων*, quos ante Aristotelem iam Speusippus et Xenocrates instituerant, quorum hic de philosophis Socrate antiquioribus, et certo de Parmenide scripsit. 68) Ab Aristotele demum incrementa cepit et invaluit istud Vitarum scribendarum studium. Notissimi sunt e Diogene Laertio (V. 22.) eius tres de Poetis libri, item de Pythagoreis, de Archytae philosophia, de Speusippo et Xenocrate al. „Princeps autem et signifer *τῆς βιογραφίας* habendus est Theophrastus," qui tres *Περὶ βίων* libros unumque *Περὶ τῶν σοφῶν* composuit, itidem de singulis philosophis egit. Huius aemulus exstitit Aristoxenus, libris *Περὶ βίων ἀνδρῶν* clarissimus. Subinde Dicaearchi inprimis, Phaniae, Heraclidis Pontici, Clearchi Solensis, Hieronymi Rhodii, Chamaeleontis, Stratonis Lampsaceni et Satyri clarum fuit in Vitis describendis nomen; qui Aristotelis exemplo excitati, fere omnes in eadem materie operam collocaverunt, easdem adeo Vitas passim enarrando, longe antea iam descriptas, seu ut supplerent quidpiam, quod mancum ducerent, seu (ut Luzacium sequar) maiorum ut gloriam in eodem genere

66) Cf. Niebuhr. Röm. Gesch. T. I. p. 243. fin.
67) Brandis. de Serie Ion. Physiolog. in Mus. Rhen. III. 1. p. 108.
68) Diog. Laert. IX. 23.; cf. Ionsius I. 10. 5.

partam sibi quoque adipiscerentur. — Non autem solum, ut hoc addam, Historici isti Alexandrini virorum illustrium Vitas componebant, verum etiam feminarum. Sufficiat unum Charonis exemplum, Apollonii Rhodii familiaris, qui in utroque genere elaboravit, teste Suida s. v. *Χάρων*. Scripsit enim *βίους ἐνδόξων ἀνδρῶν βιβλίοις δ΄, βίους ὁμοίως γυναικῶν ἐν δ΄*. — Ista Vitarum multitudo in tantam molem mox excrevit, ut, siquidem de uno viro totis voluminibus [69]) scriptitarent, epitomas compendiosamque narrationem ipsi iam Alexandrini instituere coacti essent. Notum est, Heracliden Lembum [70]) Satyri et Sotionis *Περὶ βίων καὶ διαδόχων* libros in compendium redegisse. — Hoc studium virorum illustrium Vitas componendi ad novissimos usque Peripateticos aliosque philosophos aut grammaticos perduravit; de quibus omnibus luculentissime egit Ionsius in l. l. [71]) — Sed iam de Hermippi *Βίοις* dicendum est. Eorum longe maxima pars in describendis Philosophorum Vitis versatur. Quot autem Vitas istud opus complexum sit, quaeque res ibi enarratae fuerint, certo exquiri nequit, quamvis copiosissimi ipsarum numeri testimonia a Diogene inprimis aliisque servata sint. Neque certo affirmari potest, an totidem fuerint

---

69) Qua in re totam vitam conterebant, uti Cicero loquitur de Orat. lib. I. c. 51., qui anxiam Polyhistorum diligentiam saepius ridet; de Fin. II. 21.: „Nonne," inquit, „melius est de his [sc. viris in re p. claris] aliquid tantis voluminibus de Themista loqui." Coll. de Nat. Deor. I. 33. Luzac.

70) Non Ponticum, quod temporum rationi pugnat. Vid. Deswert. De Heraclide Pont. p. 156.

71) Perutilis profecto foret opera, collectis Peripateticorum, saltem praestantissimorum, de Vitis virorum clarorum reliquiis, iisque in unum corpus coniunctis, pervestigare, quantum in tradendis rebus discrepent concordentve, quantumque unus ab alterius pendeat auctoritate, collatis inter sese, quae ad nostram memoriam transmissa sunt, cuiusque testimoniis.

Vitae, quot Diogenes aliive sub Hermippi nomine referunt. Plura enim testimonia ex una eademque Vita petita esse potuere. Haec igitur suo quaeque loco significavi. Ubicunque autem apud Diogenem Laertium Hermippi nomen legitur, Smyrnaeus intelligendus est. 72) — Certius statui licet de temporis spatio. Nam deinceps a primis philosophis, qui vulgo τῶν ἑπτὰ σοφῶν nomine insigniuntur, initium fecit Hermippus in Vitis, et usque ad sui temporis philosophos, in quibus ultimus est Chrysippus, telam pertexuit. Itaque aptissime ab hac τῶν βίων parte auspicaturus sum.

Commemorantur Hermippi libri Περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν identidem a Diogene Laertio, semel ab Athenaeo et Proclo in Hesiod. ἔργ. v. 41. Haec Vitarum particula plus aut certe quatuor libris constitit. Citatur enim Hermippus ἐν τετάρτῃ τῇ περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν a Diogene lib. VIII. segm 88. Varie autem infertur mentio, modo ἐν τοῖς περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, unde plures libri intelliguntur, modo ἐν τῷ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, quo singularis de Septem Sapientibus scriptio aut certus ex ea locus indicatur. Idem est de Septem Sapientibus liber, qui a Diogene Laertio I. 42. sub Hermippi nomine Περὶ τῶν σοφῶν, omissa voce ἑπτὰ, allegatur, argumenti ratione ita postulante. Agitur ibi enim de Sapientibus, quorum ex numero Septem illi (οἱ ἑπτὰ) ab aliis aliter eliguntur. Si ipsum Diogenem hoc loco consulas, facile apparebit, ei Hermippi librum Περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν ob oculos fuisse, et fortuitu vocem ἑπτὰ esse elapsam. 73) Idcirco ipsum titulum ad aliam Vitarum partem, quae viros doctrina claros comprehenderit, etiamsi facile fieri posset, haud quidem retulerim. — Si de universo huius libri argumento quaerimus, difficile est respondere. Nam ex iis, quae supersunt, fragmentis ne coniectura quidem assequi licet, quot res complexa

---

72) Cf. Humphred. Hodius Diss. contra histor. Arist. p. 55. fin.
73) Vid. Spencer. ad Origen. c. Cels. p. 13.

fuerit ista *Βίων* pars. Ex Athenaei loco l. X. p. 443. suspicari quidem licet, uti ibi de Periandro, ita etiam de reliquis satis copiose egisse Hermippum; non tantum singulorum eum enotasse fata, mores et ingenium, sed, quod vero videtur similius, quia peculiari titulo hanc partem ornaverit, disquisitionem instituisse generalem, quae cuncta continuerit, quae ad ipsius usque aetatem fuerint de illis tradita. Itaque quod Diogenes Laertius integro libro I. congessit, quod Plutarchus in Septem Sapientum Convivio, quodque in Vita Solonis de Septem Sapientibus enarravit, adminiculo Hermippei operis factum esse, facile crediderim: in quo non de ingenii solum praestantia, qua primi illi Sapientes excelluerunt, de civili eorum prudentia, de poeticae facultatis praestantia, de dictis denique ac praeceptis disseruit Hermippus, sed etiam singula quaeque, uti eorum dicta et enumeravit et illustravit, omnes de iis, quae ferebantur, narrationes diligentissime enotavit, virorumque egit recensum, qui ab aliis aliter in illorum Septem numerum fuere relati. Quid multa? tanta diligentia in hoc opere elaborando usus esse videtur tantaque rerum copia illud adornasse, ut post eum nullus antiquorum scriptorum, si Apollodorum aequalem exemeris, quantum quidem scimus, eandem materiem tractaverit; quo magis dolendum est, quod temporis iniuria huic operi non pepercit.

Si ad scriptores, quorum opera usus fortasse fuerit Hermippus in hoc opere conscribendo, attendimus animum, inprimis nominandus videtur Andron Ephesius, sub Philippi tempora clarus, scriptor gravis,[74] cuius librum *Τρίπους* inscriptum ad partes vocat D. Laertius I. 30., in quo de Septem Sapientibus eorumque certamine egit, ut indicat Schol. Pind. Isthm. II. 17.: *Σπαρτιάτην δὲ Ἀριστόδημον ἐν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς ἀναγράφεται Ἄνδρων ὁ Ἐφέσιος.* Hunc secuti sunt

74) Cf. Brucker. Hist. Phil. Vol. I. p. 438.

deinceps Dicaearchus, Aristoxenus (cf. Mahn. Diatrib. de Arist. p. 119.), Clearchus Solensis in Vitis; hos vero Hermippus eiusque aequales, qui de philosophis egere, Sosicrates et Apollodorus, laudatus Diogeni L. I. 58., ἐν β' περὶ νομοθετῶν. Memorantur etiam Androne antiquiores aliique ei aequales, qui de primis Graeciae Sapientibus scripsisse feruntur, uti Leander Milesius, Aristoteli suppar (vid. Ions. l. l. IV. 31.), Anaximenes Lampsacenus, Alexandri M. comes (Ions. I. 20. 3.), historicus et rhetor, quorum licet neuter peculiari opere de Septem Sapientibus scripserit, Hermippo tamen, ubi mentionem illorum in scriptis suis fecerint, ob oculos fuisse videntur, uti etiam Archetimus Syracusius (Ions. I. 3. 2.), qui Septem Sapientum historiam eorumque cum Cypselo congressum, cui ipse interfuit, persecutus est, teste D. Laertio I. 40. 75) Acusilaum Argivum hic nominari non posse, ostendit Ions. I. 3. 6. — Enumeravit etiam Hippobotus (Ions. IV. 27.) in Philosophorum ἀναγραφῇ Septem Sapientes, sed aliter, puto, atque Hermippus. Diog. Laert. I. 42. Hermippo decem et septem huius nominis habiti sunt; quorum Vitas ei, de quo agimus, operi an inseruerit omnium, affirmari nequit; sed fortasse praestantissimorum. Chilonis, Mysonis, Periandri et Anacharsidis Vitas huc refero. Pythagorae, cuius in illo recensu nomen legitur, enarrata fuisse Vita in hoc opere non potuit; nam pluribus libris de eo egit Hermippus, quocirca seorsum ἐν τοῖς βίοις pertractatam fuisse credo. Haud dubie Thaletis vita hac particula comprehensa fuit, licet Hermippus, ubi de Thaletis dicteriis disserit, a Diogene Laertio I. 33. ἐν τοῖς βίοις diserte allegatur, qui fuit generalior titulus. Solonis vitam hoc opere descriptam fuisse, si quis negat, ego nego; si quis ait, ego aio. Namque eodem iure etiam in libris de legum latoribus locum habere potuit, id quod Fa-

---

75) Cf. tamen Brandis. in Mus. Rhen. III. 1. p. 108.

bricio in Bibl. Gr. visum est, cuius sententiam equidem libenter amplexus, inter legum latores eum reposui. Scilicet Hermippus Dicaearchi iudicio aliqua saltem ex parte obsecutus est, qui Septem Sapientes dicit *οὔτε σοφοὺς οὔτε φιλοσόφους γεγονέναι, συνετοὺς δέ τινας καὶ νομοθετικούς* (Diog. Laert. I. 40.), id quod Aristodemus aliique in illo numero obvii demonstrant. Huc accedit, quod hoc opere etiam E u d o x i, aequalis Platoni, Vita comprehensa fuit, nullam aliam, uti mihi videtur, ob caussam, quam quod leges tulisse dicitur. [76] Nemini enim in mentem venire potest, eum ab Hermippo illis Septem adiunctum fuisse. Quod si data solum opportunitate factum est, hoc tamen inde consequitur, inter utrumque de Septem Sapientibus opus et quod de Legis latoribus inscripsit Hermippus, magnam fuisse affinitatem ex argumenti ratione. Qua de caussa iuxta collocare placet alterum hoc Hermippi opus *Π ε ρ ὶ τ ῶ ν ν ο μ ο θ ε τ ῶ ν*, quod satis amplum et voluminosum fuisse, inde comparet, quia sex et fortassis pluribus libris constitit. Certe sextus ab Athenaeo (XIV. 619. b.) laudatur. Quo usus fuerit Hermippus in his libris ordine, pronunciare certo non ausim. Primi enim libri ubi fit mentio, de certaminibus singularibus eorumque inventoribus sermo est, itidem de Pythagora, quippe qui a Iudaeis suam philosophiam mutuaverit. Secundo de Triptolemo, sexto de Charonda, incerto denique libro apud Athenaeum (XIII. 555. c.) de Spartanorum nuptiis fortuitis. Quo ex ordine haud ita facile perspicias, singularumne Graeciae deinceps civitatum enumeraverit descripseritque nomothetas eorumque in civitatem merita. Neque facilior foret opera, supplere velle, quid deperditi libri continuerint. Hoc tamen vero videtur simile, ab antiquissimis inde temporibus initium fecisse Hermippum omnesque Graeciae

---

76) *Εὔδοξος Κνιδίοις καὶ Ἀριστοτέλης Σταγειρίταις, Πλάτωνος ὄντες συνήθεις, νόμους ἔγραψαν,* Plut. advers. Colot.

legis latores complexum esse, Cretensium, Atheniensium Triptolemum, Draconem, Solonem, fortasse etiam Clisthenem, Pisistratum, Periclem, alios, Spartanorum Lycurgum, et aliarum praeterea civitatum, quicunque utilibus legibus eas instruxere. Quae Plutarchus sub Hermippi nomine in Vita Lycurgi narrat, ex hoc opere sumta sunt; idem valet in Solonis Vitam. [77] Subit autem mirari, qui Pythagorae [78] iniecta esse potuerit in opere De Legis latoribus mentio, quum de eo peculiariter egerit Hermippus, unde hunc disiecisse in variis libris eorundem Virorum mentionem existimare utique liceret. Venit mihi in mentem, errasse hic ipsum Origenem, quum pro libro primo, qui erat de Pythagora, (in hoc eadem refert Hermippus,) librum de Nomothetis scripserit. Verum nihil impedit, quominus Pythagoram in legis latorum numerum ab Hermippo receptum fuisse credamus. In Graeciam enim ex Aegypto redux, Cretam, Minois legibus claram, tum Lacedaemonem ad leges Lycurgi cognoscendas concessisse fertur; eoque nomine in hoc libro locum habere potuit. [79] Copiosissimum fuit hoc Hermippi opus. Nam non solum Vitas singulorum legum latorum in eo descripsisse videtur, sed etiam leges ab ipsis latas pertractasse et mores tum temporis vigentes depinxisse, ut intelligitur ex Athenaei lib. XIII. p. 555. c., ubi de Spartanorum nuptiis fortuitis agit. Crebras in hoc opere, uti alias, fuisse digressiones, iam inde colligas, quod primo statim libro certamina singularia commemorantur, quorum inventores Mantineenses fuerint. Quod quidem, ut ego interpretor, ita factum est, ut, quum de legibus, quibus illa vetita fuerint, dissereret scriptor, simul eorum originem enucleaverit. Neque mirandum est, Peripateticos aegre in scriptis suis a digressionibus abstinuisse,

---

77) Vid. Heeren. De Fontibus Vit. Parall. Plut. p. 28.

78) Apud Origen. c. Cels.

79) Cf. Ritter. *Gesch. der Pythagor.* p. 38. et 46.

quandoquidem largam doctrinam atque eruditionem, ubicunque fieri potuit, ostentatum ibant, „ut ne faeces quidem suas sibi relinquerent." Talem digressionem fuisse suspicor, quae Etym. M. s. v. Ἀπάμεια ex Hermippo refert.

Multa autem iam exstabant Hermippi tempore veterum scriptorum de eadem, quam ipse pertractavit, materie monumenta, permagnum illi in elaborando hoc opere adminiculum; quae etiam Plutarchus in Vitis Solonis et Lycurgi ob oculos habuisse videtur. Magno adiumento Hermippo erant sine dubio Aristotelis Περὶ πολιτειῶν libri, quos diligenter eum pervolutasse iam inde est verisimile, quod e Lyceo Philosophorum omnino erat summi magistri scripta imitari. Callimachi etiam praeceptoris opere Πίνακες τῶν νόμων (Athen. XIII. p. 585.) usus forsitan est duce, Callimachique exemplo excitatus, simile sibi argumentum sumsit, in quo elaboraret; id quod de alio quoque Callimachi discipulo, Philostephano Cyrenaeo, notum est. Cf. Heeren. de Font. Vitar. Parall. Plut. p. 25. — Theophrasti libros Περὶ νόμων et Περὶ νομοθετῶν Hermippum consuluisse, iure existimandum est; neque minus Demetrii Phalerei (περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας Diog. Laert. V. 80.), Aristoxeni, Heraclidae Pontici aliorumque scripta de legis latoribus. — Ne vero rem agam iam ab aliis peractam vid. Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 545. sqq., Heeren. l. l. p. 22. sqq., Wesselingii praefat. ad Petiti Leg. Attic.

Fabricius l. l. Hermippum Smyrnaeum intelligit, qui ἐν Θεσμοφόροις a Polluce Onomast. lib. X. c. 122. allegatur. Sed frustra est vir doctissimus. Non enim de Smyrnaei opere de Legis latoribus, sed de Comici fabula haec accipienda. Neque existimari potest, Pollucem Hermippei operis Περὶ νομοθετῶν nomen sponte ac temere in Θεσμοφόροι demutasse, quum quae illo loco addat, procul dubio ad Comici fabulam spectent. Neque necessaria videtur Casauboni mutatio in Φορμοφόροις (ad Athen. XV. 700. d.). Cf. Mei-

nek. Quaest. Scen. Spec. I. p. 31. Gerhardus vero Vossius (de Histor. Gr. I. 16.) hoc *Περὶ νομοθετῶν* opus et Smyrnaeo adiudicavit et (lib. II. c. 12.) Berytio, notatus propterea iam Spencero ad Origen. c. Cels. I. p. 13. et Ionsio II. 9. 4., siquidem alterius eorum saltem esse potest. Vid. etiam Rhoer. ad Porphyr. de abstin. IV. 22. — Nulla autem, ut hoc addam, Ionsio fuit caussa, cur hanc *τῶν βίων* particulam tam anxie Smyrnaeo tribueret; et recte iam Conradus Gesnerus in Bibliotheca s. v. *Hermippus Smyrnaeus* huncce operis auctorem agnovit.

His igitur absolutis, transeo ad illas Vitas, quae in opere *τῶν βίων* locum habuerunt, sed nullo alio titulo insignitae fuisse videntur, quam eius viri docti nomine, cuius vita enarranda erat. Ita in Theophrasti Vita Hermippus citatur a Diogene II. 55. *ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου*. Plerumque autem in hisce Vitis a Diogene et Athenaeo tacito scripti titulo testis adhibetur. Non autem necessarium duco, singularem constituere titulum *De Sapientibus* (*Περὶ τῶν σοφῶν*), id quod fecit Patricius Discuss. Peripatet. Tom. I. lib. III. p. 20.; nam talis nusquam in Hermippi scriptis invenitur, et apud Laertium I. 42. errore tantummodo natus est. Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis, quonam ordine Hermippus philosophorum, quas scripsit, Vitas, quasque subinde enumeraturus sum, disposuerit. Singulos Vitarum libros non videtur instituisse, [80]) siquidem Pythagorae et Aristotelis vitas pluribus libris conscripsit. Aristotelis autem Vita, licet pluribus libris constiterit, sub generali Vita-

---

80) Uti fecit Clearchus Solensis, qui e. g. *ἐν ὀγδόῃ τῶν βίων* laudatur ab Athenaeo XII. 548. d. Similiter Dicaearchus *ἐν α' περὶ βίων*, Diog. Laert. III. 49. Satyrus *ἐν τῷ δ' περὶ τῶν βίων*, Diog. Laert. VI. 80.

rum titulo comprehensa fuit, quod testatum facit D. Laert. V. 2., ubi Hermippum de Aristotele disserentem ἐν τοῖς βίοις affert. Fortasse cuipiam in mentem venire possit, usum esse Hermippum Sotionis ratione, quam secutus est ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων (Laert. II. 12), aliorumve id genus scriptorum, vel adhibuisse seriem chronologicam. Utrumque re vera speciem quandam verisimilitudinis exhibet. Verum quum certo dici nequeat, omnesne servatae sint, quas conscripsit Hermippus, philosophorum Vitae, quas in hunc ordinem redigere necesse foret, ut melius perspici possint, singulos percensebimus philosophos, ducibus litteris, a quibus nomina eorum incipiunt. Sunt autem hi: Alexinus Dialecticus, Anaxagoras, Antisthenes, Arcesilaus, Aristoteles, Callisthenes Peripateticus, Chrysippus, Demetrius Phalereus, Democritus, Diodorus Aspendius, Diogenes, Empedocles, Epicurus, Heraclides Ponticus, Heraclitus, Lycon, Menedemus, Menippus, Persaeus Stoicus, Pherecydes, Philolaus, Plato, Pythagoras, Socrates, Stilpo, Theophrastus, Zeno Eleates.

Horum de numero subducendi sunt Diogenes, Menippus et Persaeus Stoicus, siquidem fortassis in alio Hermippi opere, *De claris Servis* inscripto, locum habuere. Ne vero temere novum finxisse ordinem videar, a mente Hermippi alienum, et quum dubium adeo sit, (consule quae infra hac de re disputabo,) Smyrnaeine hoc scriptum fuerit, eorum Vitas hic collocare apud me constitui.

Ex his, quas recensui, praecipuam collocasse videtur Hermippus operam in Aristotelis et Pythagorae Vitis enarrandis. Laudat eum Athenaeus bis ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους πρώτῳ, unde perspicuum fit, plus uno libro de eo scripsisse Hermippum. Versatus autem est, quantum quidem testantur fragmenta, non in genere eius solum accurate exponendo, de eius in Macedoniam itinere, de scholis

in Lyceo habitis, sed etiam circa vitam domesticam, quandoquidem eum cum Herpyllide, ex qua progenuit Nicomachum, usque ad mortem vitam transegisse narrat. Quod autem Franciscus Patricius Discuss. Peripatet. Tom. I. lib. II. p. 13. ait, tres viros celeberrimi nominis Aristotelicos libros et collegisse et in ordinem digessisse antiquitus: Hermippum Callimachium Smyrnaeum, Andronicum Rhodium et Adrastum Aphrodisieum, nescio, quod quidem Hermippum attingit, quomodo comprobem. Nullum enim, quamvis maxime vellem, veteris alicuius scriptoris reperi testimonium, quod Patricii sententiam confirmaret. Neque Buhlius, qui (in Aristotel. Oper. Tom. I. p. 277. sqq.) interpretes graecos Aristotelis librorum recenset omnes, Hermippi ullam intulit mentionem. Coll. Vales. de Critic. lib. I. c. XXI. Quum igitur certi quidquam de hac re explorari nequeat, et Patricius illa ex scripto aliquo nobis nunc ignoto derivasse vix putandus sit, res erit in medio relinquenda. Quanquam Hermippum de scriptis quoque Aristotelis egisse, haud a veri abhorret similitudine. Patricius l. l. p. 20. in iis, quos in consarcinanda Aristotelis Vita adhibuit scriptores Diogenes, Hermippum plurimi facit, et eadem diligentia, quam hic vir praestiterit in Platonis dialogis excutiendis (Athen. XI. 505. d.), rationi consentaneum esse autumat, usum quoque fuisse in Aristotelis Vita ac libris colligendis et examinandis. Diligentiam eius profecto neminem addubitaturum esse arbitror, qui expendat, Hermippum e Lyceo philosophum fuisse, cui scholae suae principis Vitam, ut quam posset accuratissime enarraret, si quid aliud, cordi esse debuit. Alios veteres, qui Aristotelis Vitam litteris consignarunt, enumeravit Buhlius in „Aristotelis Vita per annos digesta" init. (Oper. Vol. I. p. 80. sqq.)

Alteri scripto de Pythagora non minorem diligentiam impendit Hermippus. Constitit illud duobus certe libris, quorum primum affert Iosephus contra Apionem I. 22., secundum Diogenes L. VIII. 10. Totam Pythagorae vitam et

philosophiam hoc opere complexus esse videtur Hermippus. Disseruit enim de eius parentibus, de patria, de miraculis, de mortis genere deque eius philosophiae consilio. Huc pertinent, quae Athen. V. 213. f. de Athenionis tyranni insidiis tradit. Non autem de Athenione scribere potuit Hermippus, qui longe post eum vixit, sed de Pythagorae eiusque asseclarum consilio, quod imitatus est ille Athenio, ut, oppressa per insidias tyrannide, optimorum et praestantissimorum imperium stabiliretur. (Cf. Meiners. *Gesch. der Wissensch.* cet. Tom. I. p. 228. sq.) Valckenarius Diatrib. de Aristobulo Iudaeo Alexandr. p. 102. iure asserit, Smyrnaeum Hermippum in suis de Pythagora libris agere quoque debuisse de *numeris Pythagorae*, quandoquidem eo longe minus nobilitatus Berytius de illis egerit, teste Clem. Alexandr. VI. p. 815. — Eorum, qui de Pythagora memoriae aliquid tradiderunt, praestantissimus praedicatur Hermippus a Iosepho l. l., qui „πολλοὶ," inquit, „τὰ περὶ αὐτοῦ (de Pythagora) ἱστορήκασι, καὶ τούτων ἐπισημότατός ἐστιν Ἕρμιππος." Primus fuisse videtur Hermippus, qui Pythagoram dixit multa Iudaeorum instituta in suam transtulisse philosophiam. — Ex nota autem Peripateticorum Aristotelis aemulatione hoc quoque Hermippi de Pythagora scriptum ortum esse autumo. Scripsit enim iam Aristoteles περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας, testante Iamblicho V. Pyth. sect. 31. Post Aristotelem magnus numerus scriptorum increbuit, qui Pythagorae Vitam et philosophiam scriptis illustrarunt, quos percenset omnes Meinersius l. l. T. I. c. 3. p. 178. sqq., in quinque classes eos dispescens. Sed uti in alios nimis indulgentem sese praebet, ita Hermippum et multos alios infestissime summaque ira prosequitur. — Copiosissime ante Hermippum de Pythagora egerat Aristoxenus, ex cuius libro Hermippus sine dubio multum profecit. Quod autem licuit Mahnio in Diatr. de Aristoxen., ex huius reliquiis filum pristinae indicare scriptionis, mihi concessum non fuit. Iamblichus et

Porphyrius nullam Hermippi, quod oppido mireris, in Vitis Pythagorae faciunt mentionem, etiamsi eius adhibuisse opus iure existimandi sint.

Ex reliquis philosophis, quos supra percensui, Theophrastum hic nomino, cuius Vitam, uti omnino omnium Aristotelicorum, non sine cura ab Hermippo litteris consignatam fuisse credere par est, siquidem etiam discipulos eius non recensuisse solum nominatim, verum etiam eorum vitam paucis adumbrasse videtur. Fidem facit Athenaeus VI. 252. c., qui „Ἕρμιππος," inquit, „Λυσίμαχον ἐν τοῖς Θεοφράστου μαθηταῖς καταλέγει." Quod tanto minus addubitandum est, propterea quod Hermippus etiam de rhetorum discipulis egerit, uti infra videbimus. Non autem clarissimos solum Theophrasti discipulos hoc opere comprehendisse mihi videtur, uti Demetrium Phalereum, cuius ex Vita pauca servata sunt, et Stratonem, sed procul dubio alios quoque ignobiliores, quorum nomina oblitterata sunt. Stratonis Vitam an re vera scripserit, non quidem constat, sed est verisimile, quia de Lycone, eius discipulo, egit. — Ad Aristotelis fortasse Vitam referenda sunt, quae, uti videtur, Patricii (l. l.) auctoritate orta, scribit Bruckerus Hist. Phil. Vol. I. p. 843., libros Theophrasti, quos enumeravit Laert. V. 42., recensuisse olim et digessisse Andronicum et Hermippum, quorum tamen diligentia prohibere non potuerit, quin potior pars periret.

Huius de claris philosophis operis agmen claudat aliud affinis argumenti, quod erat de Servis eruditione claris (Περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων), uti comparet ex Suida s. v. Ἴστρος, ubi huius operis *secundus liber* affertur. Testatur Kusterus, scriptum se in duobus Cod. Paris. reperisse ἐν τῷ βίῳ τῶν διαπρεψάντων ἐν π. δ., quod spernendum non sit. Sane non contemnendum, quum similes tituli exstent, uti Dicaearchi inscriptum fuit quoddam opus Περὶ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου, Athen. XIV. 636. c. XIII.

557. b. al. Sed librarii esse errorem, facile intelligitur, qui pro ἐν τῷ β' τῶν διαπρ. κ. τ. λ. scripsit ἐν τῷ βίῳ. Hos de Servis claris libros idem Kusterus perperam Berytio tribuit in notis ad Suidam s. v. Ἄβρων; sed nullam puto aliam ob caussam, quam quia Smyrnaeus a Suida hoc nomine prorsus non memoratur, ex cuius opere manifesto depromta sunt, quae s. v. Δημοσθένης apud eundem Suidam leguntur. Nequaquam autem nostrae sententiae refragantur, quae Suidas refert s. v. Ἄβρων, Φρὺξ ἢ Ῥόδιος, γραμματικὸς, μαθητὴς Τρύφωνος, σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ, γεγονὼς δὲ ἐκ δούλου, ὥς φησιν Ἕρμιππος. (Eadem habet Ioann. Zonaras in Lexico s. v. Ἄβρων Vol. I. p. 7. Tittm.) Intelligendum hic quidem esse Hermippum Berytium, nemo non videt, quandoquidem Tryphon Alexandrinus, Grammaticus, Augusti aetati suppar fuit, Suida teste s. v. Τρύφων, Smyrnaeus autem centum annis ante vixit. Verumtamen Smyrnaeo totum illud, de quo agimus, opus propter unum Suidae testimonium, quod nescio ex quo Berytii scripto derivavit, abiudicari non posse, censeo. Smyrnaeo illud tribuunt Bruckerus Hist. Phil. I. p. 622., Ionsius l. l. et Spencerus ad Origen. c. Cels. p. 13. — Huc refero Vitas Persaei Stoici, Menippi, qui de servis facti sunt philosophi nobiles, et Diogenis, qui mirum quantum ex libertate in servitutem venum ierat. De huius venditione, re admodum memorabili, singularem Hermippus condidit librum, maiori huic operi insertum, Περὶ τῆς Διογένους πράσεως (Diog. Laert. VI. 29.) 81) sive Διογένους πρᾶσις. Expendenti mihi autem, quid Hermippo ansam praebuerit ad hanc de claris Servis materiem elaborandam, facile se offert Ister, servus doctissimus, Callimachi discipulus, quem Hermippus, utpote ex eadem schola profectus, hoc opere quasi ornaturus atque condeco-

---

81) Eiusdem tituli librum scripsit Eubulus, citatus Diogeni L. VI. 30, ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Διογένους πρᾶσις.

raturus erat. Fuit Ister natu maior Hermippo; paullo igitur post eius mortem, aut ipso adeo vivente, ad illud opus accessit; scimus enim, etiam Charontem Carthaginiensem de Apollonii Rhodii, cui aequalis et familiaris erat, scripsisse historiis, teste Schol. Apoll. Rhod. II. 1054. Non modo autem illos, quos nominavi, viros hoc opere comprehensos fuisse cediderim, sed omnes, qui ad Hermippi usque tempora ad ipsius notitiam pervenire potuerunt. Tales fuisse indicat Gellius Noct. Att. lib. II. integro cap. XVIII. (quem Macrobius Saturn. I. c. 11. totidem verbis transscripsit): Phaedonem, Menippum, Pompylum, Theophrasti servum, Persaeum Zenonis, et Epicuri Murem. Quibus addatur Choerilus Samius (Suid. s. v.), Philo, Aristotelis servus (Laert. V. 15. Athen. XIII. 610. f.), Abas, servus Stratonis physici (Laert. V. 63.), Aristocreon ὁ Χρυσίππου μαθητὴς καὶ οἰκεῖος (Plut. de Stoic. repugn. p. 1033.), Rhianus Benaeus (Suid. s. v.), Alcman, Aesopus (Herodot. II. 134.). Cf. Ionsius de Script. H. Ph. II. 9. 4. Menag. ad Diog. Laert. II. 105.

Quae hucusque enumerata sunt Hermippi scripta, philosophorum vitam et actiones attingebant, fortasse etiam dogmata et instituta. 82) Videndum iam est de scriptis historicis alius argumenti, quae hoc opere τῶν βίων contenta fuere. Scripsit enim Hermippus *Vitas oratorum graecorum*. Hanc Vitarum partem singulari aliquo insignitam fuisse titulo, non invenio. In hoc igitur opere initium fecit Hermippus a Gorgia; dein huius discipuli Isocratis Vitam descripsit, itidem Isocratis discipulorum, et horum deinceps, quotquot fuerunt, auditores enumeravit. De Gorgia singularem fuisse Hermippi librum, fidem facit Athenaeus XI. 505. d., qui eum ἐν τῷ περὶ Γοργίου allegat; pariter de Isocrate, uti idem testatur XIII. 592. d., Hermippum laudans ἐν τῷ

82) Patric. Discuss. Peripat. lib. I. c. 3. p. 20.

περὶ Ἰσοκράτους. 83) Maximam sine ulla controversia Hermippus huic Vitae elaborandae impendit diligentiam. Nam non solum Isocratis vitae rationes usque ad provectam senectutem (Athen. XIII. 592. d.) enotavit, verum etiam orationes, quas ille composuit, et recensuisse et tempus, quo scriptae habitaeve sunt, constituisse videtur. Maiori autem ambitu institutum fuit Hermippi opus *De Isocratis discipulis* (*Περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν* Athen. X. 451. e.), 84) quod ad minimum tribus libris constitit; tertium enim affert Athenaeus lib. VIII. 342. c. Quo in opere licet non pari diligentia in omnium Isocratis discipulorum Vitis describendis versatus fuerit, tamen eius *ἀκρίβειαν* collaudat Dionysius Halicarn. in Iudic. de Isaeo init. — De discipulis Isocratis „magni illius oratoris et perfecti magistri, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi" insignis et palmarius est Ciceronis locus (de Orat. II. 22. sq.): „Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cuius e ludo, tanquam ex equo Troiano, meri principes exierunt: sed eorum partim in pompa, partim in acie esse voluerunt. Itaque et illi Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae multique alii naturis differunt,

83) Negat Ionsius De Scriptor. H. Ph. I. 2. 7., subintelligendum esse *librum* in illa phrasi, et Delechampium ait praeter Athenaei mentem vertisse: Herm. *in libro* de Isocr.; imo vertendum esse: Hermippus *eo loco*, ubi de Isocrate agit. Sed ipse addit: „Non quidem negaverim, aliquando integrum hac phrasi librum denotari et citari, sed quod semper de libro explicari illa *ῥῆσις* debeat, difficulter probari posse contendo." Non semper quidem, sed quidni hoc loco?

84) De prava scriptura *Περὶ τῶν Ἰσοκρ. μαθημάτων* iam supra diximus. Saepenumero vocabula *μαθημάτων* et *μαθητῶν* a librariis confusa sunt. — Hermarchus Mitylenaeus scripsit, teste Diog. Laert. X. 25., *περὶ τῶν μαθημάτων πρὸς Πλάτωνα* (*de disciplinis adversus Plat.*), quae est Is. Casauboni emendatio ex *μαθητῶν*.

voluntate autem similes sunt inter sese et magistri: et ii, qui se ad caussas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus, aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitandae genere versati." Hos igitur a Cicerone hic commemoratos Hermippum opere dicto complexum fuisse, credere par est; neque tamen solos eos, sed etiam quos praestantissimos recenset Photius Bibl. Cod. CCLX., Timotheum, Cononis filium, Xenophontem, Grylli F., Ephorum Cumaeum, Asclepiaden, Theodecten Phaseliten, Leodamantem, Lacritum, Hyperidem, Isaeum et Demosthenem. Clarissimos (τοὺς ἐλλογιμωτάτους) enumerat praeterea Philostratus Vit. Soph. p. 516. Olear. Cf. Wichers. ad Theopomp. p. 10., Pflugk. ad eundem p. 19. sq., laudatus Wichersio; Marx. ad Ephor. p. 18. Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 808. Harl. Ruhnkenius prope omnium oratorum praeceptorem fuisse Isocratem contendit, quos ipse in Historia Critica Orator. Graecor. inde a pag. LXI. (in edit. Rutil. Lupi) enumerat. Sed multo maior eorum haud dubie fuit numerus; etenim a Photio l. l. ad centum excrevisse dicitur, licet initio novem duntaxat auditores fuerint. 85)

Ab Hermippo inter Isocratis auditores recensentur Isaeus, tum huius discipulus Demosthenes, et huius item Hyperides.86) Verumtamen omnes ex Isocratis schola prodierunt, etiamsi aetate essent dispares, et alter ab alterius magis penderet auctoritate, quam ab Isocratis communis magistri. Demosthenis totam vitam descripsit Hermippus; nam quae ex ea ad nostram memoriam transmissa sunt, ad puerilem et virilem aetatem atque ad ultima eius fata pertinent. Ex ipsa desumta partim sunt, quae Dionysius Halic. refert Epist. ad Ammaeum

85) Ὡς μέν τινές φασι, τὰ πρῶτα ἐπὶ Χίου μαθητὰς ἔχων ἐννέα, — ἠκροάσαντο δὲ αὐτοῦ ἄλλοι τε πολλοί, ὡς καὶ εἰς ἑκατὸν συντελέσθαι.

86) Cic. Brut. c. 9.: „Demostheni Hyperides proximus."

c. 3., etiamsi Hermippum auctorem non nominet.[87] Omnino eam ante oculos habuit Plutarchus Vita Demosthenis.[88] Sequitur Aesion, Demosthenis condiscipulus, ab Hermippo inter Isocratis auditores relatus, nisi quis, quae de eo a Plutarcho narrantur, e Demosthenis Vita petita esse malit; tum Theocritus Chius, Lacritus, Theodectes Phaselites, Euthias et Anaximenes. L a c r i t i etiam d i s c i p u l o s consignavit Hermippus. An vero quae de E u t h i a (de Phrynes dica) narrat, ex Hyperidis Vita sumta sint, quod quidem vero non est absimile, quia Hyperides Phrynen defenderat (Athen. XIII. 590. d., Harpocration Ὑπερίδης ὑπὲρ Φρύνης), equidem explorare nequeo.

Hic iusta subit mentem cogitatio, qui accingere sese potuerit Hermippus ad viros ludi Isocratei describendos, quos Peripatetici continua simultate atque inimicitia persequebantur, mutuo ab illis infestati. Res est in vulgus fere nota. Inter ipsos scholarum magistros exarsit odium, quod in utriusque sectatores dein propagatum est. Sed Aristotelem Isocrati impensius adversatum esse, testis est Cicero (Orator. c. 51.), quocirca Dionysio Halic. Aristoteles ipse testis non videtur locuples.[89] Ne vero rem copiosissime et doctissime, licet non sine malevolo in Peripateticos animo, a Luzacio illustratam hic retractem, adeatur ipse in Lectionibus Atticis seu De Digamia Socratis Sect. II. §. 4., quae tota est „d e i n i m i c i t i i s I s o c r a t e m i n t e r e t A r i s t o t e l e m, m u t u o q u e q u o d i n d e a u c t u m e s t, O r a t o r u m a c P h i l o s o p h o-

87) Ἀνάγκη δ' ἴσως πρῶτον, ὅσα παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν, ἃς κατέλιπον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν συνταξάμενοι, προειπεῖν· ποιήσομαι δ' ἀπὸ Δημοσθένους τὴν ἀρχήν.

88) Cf. Heeren. De Fontib. Plut. p. 89. sq.

89) Καὶ οὔτε Ἀριστοτέλει πείθομαι, ῥυπαίνειν τὸν ἄνδρα βουλομένῳ, Dion. Halic. in Isocr. Tom. II. p. 102. Sylb. Cephisodorus, Isocratis discipulus, quatuor libris Apologiam scripsit pro magistro contra Aristotelem, Athen. II. 60. e.

rum odio." Coll. Sect. II. §. 23. p. 222. Marx. ad Ephor. p. 30. Verum enim vero ut Hermippum immunem ab ista simultate censeam, plurimum testari videtur Plutarchi et Dionysii Halicarnassensis in hac caussa silentium; et quae eiusmodi exstant vestigia in Hermippi reliquiis, pro odii argumento haberi nequeunt. — Ipsum autem illud infestandi studium ad litterarum amorem excitandum et rem litterariam scriptis locupletandam multum contulit. [90]) Nullam tamen inde caussam petierim, quae Hermippum ad hoc opus elaborandum impulerit. Imo ipso Callimachi exemplo excitatum existimo, qui Rhetoras recensuerat in *Πίνακι* sive *Ἀναγραφῇ Ῥητορικῶν* (cf. Bentl. fragm. Callim. p. 472. Ern.), quas quidem tabulas seu lineamenta ita comparata fuisse credendum est, [91]) ut uberiorem commentarium et novam eiusdem materiae elaborationem admitterent.

In hoc rhetorum recensu complexusne fuerit Hermippus etiam Thucydidem, Olori F., [92]) cuius Vitam composuisse eiusque scripta commentariis illustrasse ex Marcellino in V. Thucydidis intelligitur, explorari quidem nequit, a veri tamen non abhorret similitudine. Thucydidem enim Cicero inter oratores refert propter orationes historiae intextas et in prima ponit eloquentiae aetate. [93]) Fortasse etiam seorsum eam enarravit, siquidem Biographos virorum quoque in re publica gerenda clarorum Vitas composuisse constat. Neque tamen negaverim, scriptionem hanc fuisse similem illi de Hipponacte, complexam *ὑπομνήματα* in Thucydidis Historias, qualia con-

90) Cf. Marx. ad Ephor. p. 69.

91) Fabric. Bibl. Gr. Vol. III. p. 822. Harl.

92) De Fabricii errore in Bibl. Gr. Vol. I. p. 834. Harl. consulendus Ruhnkenius Histor. Crit. Orat. Gr. p. XL.

93) Cic. de Orat. II. 23.: „Antiquissimi oratores graeci sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades, et eadem aetate Thucydides."

didit Sabinus (Suidas s. v. Σαβῖνος), in quibus etiam de scriptoris Vita memoriae quaedam prodita fuere.

Aeque anceps haereo, quo Callisthenis Olynthii Vitam referam. Fuit ille Aristotelis consobrinus et inter comites Alexandri M. Quae de eo a Plutarcho in Vita Alexandri M. ex Hermippo narrantur, facile quoque ex Aristotelis vita sumta esse potuerunt. Verisimillimum autem videtur, peculiariter eius vitam fuisse enarratam (id quod video placere Heerenio De Fontib. Plut. p. 68.), et in philosophorum Vitis collocatam; fuit enim Callisthenes philosophus Peripateticus. Nihil autem memoriae proditum est, Hermippum de Alexandri M. scriptoribus egisse. Falsus mihi etiam videtur Heerenius, qui l. l. p. 63. inter scriptores posterioris aetatis, qui Alexandri vitam enarrarunt, etiam Hermippum ponit; cuius rei ne unicum quidem indicium in Plutarcho invenire mihi contigit. [94]

II. Post historica Hermippi opera libros *de Magis* colloco. Huius operis, περὶ Μάγων inscripti, laudatur liber primus a Diogene L. Prooem.; unde iure colligi licet, exstitisse plures. Ostendit Laertii locus, totam Magorum philosophiam seu theologiam complexum fuisse Hermippum hoc opere; cui accedit Plinii testimonium, [95] qui eum de tota arte magica diligentissime scripsisse tradit, et scripta a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum eius positis, explanavisse. Ex eodem opere de Magis depromta sunt, quae Nicomachus apud Athenaeum XI. 478. a. ex Hermippo refert. Cognominatur ibi noster ὁ Ἀστρολογικός; sed idem est Smyrnaeus, uti recte iam observavit Schweighaeuserus ad h. l. Cognomen enim saepe nominis vicem subit. [96]

---

94) Scriptores, qui de Alexandro egerunt, recensuit Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. p. 207. sq. Cf. St. Croix *Examen critique des anciens historiens d'Alexandre le grand.* Paris 1804.

95) Hist. Nat. XXX. 2.

96) Ita Aristoxenus a Diogene L. V. 92. VIII. 13. cognomine in-

Iam inde a Pythagorae temporibus Zoroastris nomen Graecis notum fuisse testatur Clem. Alex. I. p. 304. Tum post Platonem (Alcibiad. I. p. 327.) inprimis Aristoteles doctrinam Magorum investigasse fertur (cf. tamen Brandis. De Serie Ion. Physiol. in Museo Rhen. III.), Callisthenis opera, qui Alexandrum M. sequebatur, Chaldaicam sapientiam edoctus. Eius vestigiis alii deinceps scriptores institere, plerique Peripatetici, Eudoxus, Eudemus Rhodius, Theopompus,[97]) Clearchus Solensis, Sotion, Dinon, Hermodorus, quorum utitur testimoniis Diogenes L. in Prooemio. Praeter hos Heraclides quoque Ponticus[98]) de Zoroastre scripsit (Plut. adv. Colot. p. 1115. a.). Tot igitur scriptorum copiis instructus, novam suscepit Hermippus totius artis Magorum historiam scribendam, quae non solum ipsorum munera, sectas et philosophiam, sed etiam Zoroastris ipsius, praecipui religionis Persarum antistitis et reformatoris, vitam et doctrinam complexa esse videtur. Primo libro de theologia Magorum disseruit, in ceteris vero haud dubie de Astrologicis, Physicis et Politicis Zoroastris scriptis, uti ea distribuit Fabricius.[99]) Tamen vero minime constat, utrum prima et antiquissima religionis Persarum tempora, an Zoroastrea (sub Persarum imperio), hoc opere illustrata fuerint. Certe graeci scriptores utraque plerumque confudisse dicuntur, quo nomine levis et sublestae fidei habendi.[100]) Cf. Fabricius Bibl. Gr. I. p. 304. sq. Harl.

---

signitur τοῦ Μουσικοῦ, quanquam in reliquis locis omnibus nude Ἀριστόξενος ab eodem nominatur. Quae quidem permutatio ita plerisque imposuit, ut novos inde scriptores fingerent. Cf. Ions. de Scriptor. Hist. Ph. I. 2. 3.

97) Theopompum etiam Philosophum Peripateticum fuisse demonstravit Hugo Grotius De Verit. Relig. Christ. p. 64. sq., laudatus Wichersio ad Theop. p. 160.

98) Non Heraclitus Ephesius. Cf. Deswert. de Heracl. Pont. p. 81.

99) Bibl. Gr. T. I. p. 304. Harl., coll. Foucher. *Mem. de l'Acad. des Inscr.* Tom. XXVII. p. 253. Brucker. Hist. Ph. Vol. I. p. 127.

100) Brucker. l. l. p. 166.

Brucker. Hist. Phil. Vol. I. p. 116. sq. Foucher. *Memoir. des Inscr.* Vol. XXVII. G. Zoega, *Abhandlungen, herausgegeben von F. G. Welcker*, p. 89. sq. Hyd. Histor. Religion. Veter. Persar. Oxon. 1700. Needhamus Proleg. ad Geopon. p. LXXIV. ed. Niclas. Bayl. Dict. Vol. IV. p. 155. s. v. *Zoroastre*. Lobeck. Aglaoph. Vol. I. p. 426. et 752. Contendit Foucherus l. l., fecisse Hermippum iter in Persiam, atque ibi commoratum esse, quod illis temporibus non raro factum sit; consuluisse ibi Magorum doctissimos, eorumque opera adiutum, Zoroastris cognovisse scripta. Linguam Persicam eum calluisse, aut perito linguae Persicae interprete usum esse, (ut Agathiam Sergio; cf. Agath. p. 117. ed. Bonnens.;) suspicari utique licet, siquidem Zoroastris scripta commentatus esse traditur. —

Multam habuisse hoc Hermippi opus et auctoritatem et claritatem ipsis Plinii temporibus, Plinii verba supra allata luculenter testantur. Noverat illud etiam Arnobius, in usum adhibuit sine dubio Plutarchus in libro de Iside et Osiride, quanquam Hermippi nomen tacet. Sed S. Chrysostomi aetate, monente Fabricio l. l., iam intercidisse videtur, uti patet ex eius oratione in S. Babylam (Vol. II. p. 559. a. ed. Paris. 1718.): *εἰπὲ γάρ μοι, διὰ τί τὸν Ζωροάστρην ἐκεῖνον, καὶ τὸν Ζάμολξιν, οὐδὲ ἐξ ὀνόματος ἴσασιν οἱ πολλοὶ, μᾶλλον δὲ οὐδέ τινες, πλὴν ὀλίγων τινῶν; ἆρ᾽ οὐχ ὅτι πλάσματα ἦν τὰ περὶ ἐκείνων καὶ τὰ ἐκείνων λεγόμενα ἅπαντα; καίτοι γε κἀκεῖνοι καὶ τὸ ἐκείνων συνθέντες δεινοὶ γενέσθαι λέγονται, οἱ μὲν γοητείαν εὑρεῖν καὶ ἐργάσασθαι, οἱ δὲ συσκιάσαι ψεῦδος τῇ τῶν λόγων πιθανότητι.* Cf. Hydius Hist. Relig. Pers. p. 341. — Quamvis levissima autem fide essent consignata, quae apud Graecos de Magorum theologia ferebantur, et quam exigui nobis esse possent momenti, tamen cognosci inde liceret, si superstites haberemus Hermippi libros, quae non ipsius solum tempore, sed etiam apud Graecos omnino de Zoroastre et religione Persarum innotuerant.

III. Scripta grammatica. Etiamsi nullum antiqui scriptoris exstet testimonium, insignitum fuisse Hermippum *Grammatici* nomine, nihil tamen obstat, quominus eum Grammaticorum numero accenseamus. Nullus enim exstitit Ptolemaeorum aetate vir doctus, qui non esset simul Grammaticus. Quodsi ars grammatica, quae ab Aristotele duxit initium,[101]) et deinceps a Peripateticis, Theophrasto, Demetrio Phalereo aliisque exculta est, quidni Hermippum in eadem area se exercuisse censeamus? Quod re vera testantur eius id genus scripta. Huc accedit, quod nobilissimi Grammatici, Callimachum dico, fuit discipulus; et licet in schola publica artem grammaticam professum nesciamus, illustrandis et commentandis veteribus scriptoribus, investigandae verborum significationi, eum vacavisse, Collectaneorumque specimina edidisse, certum est. Ac primum quidem Hipponactem Iambographum Commentariis illustrasse perhibetur. Laudatur enim ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος.

Quaeri tamen potest, utrum aliquot libris instituerit illum Commentarium,[102]) in quo etiam de poetae vita et scriptis egerit, ut consimilis esset haec scriptio τοῖς Βίοις, an intelligenda sint ὑπομνήματα grammatica.[103]) Quodsi illud praeferre quis malit, pars fortasse fuit hoc scriptum maioris

---

101) Dion. Chrysostom. Orat. LIII. p. 553. c. Tom. II. p. 274. Reisk.

102) Libros de Hipponacte intellexit Welckerus in Hipponact. et Ananii fragm. p. 24. Sed res eodem redit.

103) *Commentarios historicos* scripsit praeter Vitas Aristoxenus, Diog. L. IX. 40. Laudatur ab eodem Hieronymus ἐν τῷ β' τῶν σποράδην ὑπομνημάτων, I. 26. al., Pamphile ἐν ὑπομνήμασι. Memorantur Euphorionis ὑπομνήματα ἱστορικά, al. Cf. Meinek. ad Euphor. p. 38. et 41., coll. Luzac. Lect. Att. II. 24. p. 228. Kayser. ad Philet. p. 32., laudatus Schuchio l. l.

operis *Περὶ ποιητῶν*, quorum vitam et scripta Peripatetici inprimis illustrabant. Aristotelis auditor Phanias Eresius aliquot libros de hac materie scripsit (Athen. VIII. 352. c.). Copiosus prae caeteris fuit Chamaeleon Heracleota, qui de singulis, sed celeberrimis poetis, inprimis de lyricis, egit. (Cf. Athen. Index.) Feruntur libri de Poetis Hieronymi Rhodii, Demetrii Phalerei aliorumque. Ipsius Hermippi aequalium scripta id genus memorantur, Callimachi, Eratosthenis, Apollonii Rhodii. Utut se haec habent, particulane fuerint libri de Hipponacte maioris operis, an peculiaris scriptio, tamen sine dubio commentarium in Hipponactis Iambos continuit. Quocirca Hermippus poetae huius Commentatoribus accensendus est, qui *οἱ ἐξηγησάμενοι* vocantur ab Athenaeo VII. 324. a. Reliquos habes apud Welckerum l. l. —

Alterius scriptionis grammaticae, quae in verborum usu exponendo versabatur, unum tantum est relictum indicium apud Etym. M., ubi nude Hermippus affertur. Hunc equidem Smyrnaeum esse puto, cuius nominis claritas satis pervulgata erat, et quia cum Aristarcho et Eratosthenis discipulis ibi nominatur. Neque igitur necessarium est, fingere *Hermippum Grammaticum*, uti fecit Fabricius in Bibl. Gr. eo loco, ubi scriptores in Etym. M. commemoratos recenset. Caeterum de nomine huius scripti nihil explorare licet.

Reliquum est, ut de Collectaneis Hermippi disseram, quae ex Homeri carminibus instituisse dicitur. Servata est ipsorum mentio in Ioann. Stobaei Eclog. XXXVII., quae est *De temperantia.* Eorum titulus erat Συναγωγὴ τῶν καλῶς ἀναφωνηθέντων ἐξ Ὁμήρου, quod vertit Gesnerus: Collectanea Hermippi de carminibus Homeri peculiari aliqua dote insignibus. Allegatur ibi a Stobaeo ex Homero versus, quem Demetrius Phalereus ad temperantiam commendandam conducere dictitabat. — Quae quidem adversaria miscellaneam com-

plexa fuisse videntur materiem, quum quaecunque scriptori pulchre ac venuste dicta viderentur, quaeque ad bonos mores conferrent, in illis locum habere potuerint. — Caeterum quod ad titulum Collectaneorum illorum attinet, is in graeco textu, quem dicunt, nonnisi in recentissima Gaisfordii editione (Tom. I. p. 154.) invenitur, e Cod. Damasceno A. erutus. Antiquiores omnes eo carent. Editionis Allobrogensis, quae anno MDCIX prodiit, interpres latinus, se, novo Codice collato, plurima in eo reperisse profitetur, (cum alia, tum veterum scripta, quorum libri non amplius exstent,) quae nusquam in priori ipsius Codice legerentur. Neque tamen in editione ipsa Hermippei huiusce operis latinum duntaxat titulum exhibuit. —

Non confundendus autem est cum Hermippo Hermappias Grammaticus, citatus Schol. ad Iliad. *Δ*. 235., *Λ*. 326. et Etym. M. v. *Παλινορμένῳ*. Fuit inter commentatores antiquos Homeri. Villois. Prolegom. ad Homer. p. XXIX.

IV. Scriptorum Hermippi geographicorum, de quibus secundum ordinem, quem instituimus, iam dicendum est, unum tantummodo restat fragmentum, servatum a Scholiaste Apollonii Rhodii, ex quo Hermippum *de Nilo* scripsisse patet. An singularem librum de hoc flumine litteris consignaverit, explorare non licet. Fortasse ex maiore opere, cuius titulus ignoratur, haec desumta sunt, ubi de variis fluminibus exposuerat. Minime vero dubito ad Smyrnaeum illam Scholiastae mentionem referre, propterea quod geographiae studium Alexandriae omnino florebat, [104]) licet huius aetatis pauca tantum fragmenta posteritati legaverit fortuna.

---

104) Heyn. De Sec. Ptol. p. 105. sq.

Ad hanc quoque materiem elaborandam Hermippi studium a Callimacho praeceptore excitatum autumo, cuius ferebatur liber inscriptus *Συναγωγὴ ποταμῶν* sive *Περὶ τῶν ἐν οἰκουμένῃ ποταμῶν*, teste Strab. IX. p. 397. (cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III. p. 822. Harl.). Alius Callimachi discipulus, Philostephanus Cyrenaeus, de mirabilibus fluviis scripserat (*περὶ τῶν παραδόξων ποταμῶν*, Athen. VIII. 331. e.); quae fuit scriptio consimilis forte Hermippeae.

V. Eadem, quam modo significavi, de caussa 105) Hermippo Smyrnaeo adiudico, quae eius auctoritate nisus narrat Aelianus de Cane Aethiopico. Ex quonam autem Hermippi scripto illa delibaverit Aelianus, ipse non commemorat. Sed sine ulla dubitatione sumta videntur ex mirabilium narrationum collectione (*ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγή*) aut alio similis tituli libro; quod scriptionum genus illis temporibus ut plurimum invaluerat, a quo ex schola Callimachia philologus abstinere aegre potuit, quippe cui magistri aemulatio cordi fuerit. Scripsit enim etiam Callimachus ipse *Θαυμασίων τῶν εἰς ἅπασαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγήν*, teste Suida s. v. *Καλλίμαχος*. Scriptores *Θαυμασίων* permultos enumerat Ions. De Script. Hist. Ph. II. 12. 2. — Collectiones illas multis refertas fuisse fabellis, quibus parum fidei haberi potuit, facile intelligitur; id quod etiam in Hermippum cadit, quem idcirco Aelianus haud ita locupletem testem existimat, quum scribat: *εἴ τῳ ἱκανὸς Ἕρμιππος τεκμηριῶσαι.* Cf. Gell. Noct. Att. IX. 4. Caeterum non hanc solum rerum mirabilium collectionem in-

---

105) „Sub Ptolemaeis cum peregrinationibus per longinquas terras naturae cognoscendae studium, adeoque historia naturae vires accepit." Heyn. l. l. p. 107.

stituisse Hermippum persuasum habeo, sed multo eum fuisse apud antiquos nomine propter scientiam rei naturalis; quandoquidem eius nomine dialogus inscriptus fuerit, de scientia naturali agens; qua de re supra disserui.

VI. Ex scriptis Hermippi musicis nihil ad nostram transmissum est memoriam, nisi scholae musicae Hermippeae mentio apud Porphyrium Comment. in Ptolem. Harmonica init. (in Wallisii Oper. Mathemat. Tom. III. p. 189.). Locus Porphyrii ita habet: *Πολλῶν αἱρέσεων οὐσῶν ἐν μουσικῇ περὶ τοῦ ἡρμοσμένου, ὦ Εὐδόξιε, δύο πρωτεύειν ἄν τις ὑπολάβοι, τήν τε Πυθαγόρειον καὶ τὴν Ἀριστοξένιον· ὧν καὶ τὰ δόγματα εἰσέτι καὶ νῦν σωζόμενα φαίνεται· ὅτι μὲν γὰρ ἐγένοντο πλείους, αἱ μὲν πρὸ τοῦ Ἀριστοξένου, οἷα ἡ Ἐπιγόνειος καὶ Δαμόνιος καὶ Ἐρατόκλειος, Ἀγηνόριός τε καί τινες ἄλλαι· ὧν καὶ αὐτὸς μνημονεύει· αἱ δὲ μετ' αὐτὸν, ἃς ἄλλοι ἀνέγραψαν, οἷα ἡ Ἀρχιστράτιος καὶ ἡ Ἀγώνιος καὶ ἡ Φιλίσκιος καὶ ἡ Ἑρμίππιος, καὶ εἴ τινες ἄλλαι· ἔχοιμεν ἂν λέγειν.* Ut vero huius sectae, caeterum, ut videtur, haud ita celebris, principem Hermippum Callimachium intelligam, inde probare posse mihi videor, quod post Aristoxenum nullius fit Hermippi mentio, cuius adeo ac Smyrnaei nomen inclaruerit. Argumento praeterea inservit, quod Peripateticorum celeberrimi iidemque Vitarum scriptores, Aristoxenus, Theophrastus, Dicaearchus, Heraclides Ponticus, multum studii operibus de arte musica condendis tribuerunt, uti testatur Plutarchus, [106]) qui Peripateticorum optimos de antiqua mu-

---

106) De Musica p. 1131. F.: *Τῶν τε γὰρ Πλατωνικῶν οἱ πλεῖστοι, καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ Περιπάτου φιλοσόφων οἱ ἄριστοι περί τε τῆς ἀρχαίας μουσικῆς συντάξαι ἐσπούδασαν, καὶ*

sica eiusque depravatione diligenter scripsisse tradit. — Scriptores de Musica veteres, in iis etiam Hermippum, recenset Fabric. Bibl. Gr. Tom. III. p. 649 — 658. Harl.

VII. Astronomica. Astronomiae studio, quod Ptolemaeorum aetate vel maxime viguit, [107]) Hermippus quoque deditus fuit. *De Sideribus* scripsisse diserte dicitur ab Hygino Poeticon Astronomicon Lib. II. c. 4., quo ex opere sumta sunt reliqua, quae apud eundem Hyginum ex Hermippo referuntur. Intelligenda autem sunt hoc opere *Phaenomena*, quae ad instar Aratei operis eum composuisse, testatur non modo Arati Biographus, [108]) verum etiam Ptolemaei regis epigramma. [109]) *Καὶ γὰρ*, inquit Biographus ille, *Εὔδοξος ὁ Κνίδιος ἔγραψε Φαινόμενα, καὶ ....Ἕρμιππος καὶ Ἡγησιάναξ καὶ Ἀριστοφάνης Βυζάντιος, καὶ ἄλλοι πολλοί· ὧν καὶ Πτολεμαῖος μέμνηται ὁ βασιλεὺς οὕτως·*

Πάνθ' Ἡγησιάναξ τε καὶ Ἕρμιππος τὰ κατ' αἴθρην
Τείρεα, καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ Φαινόμενα
Βίβλοις ἐγκατέθεντο· ἀποσκόπιοι δ' ἀφάμαρτον·
Ἀλλὰ τὸ λεπτολόγου σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει. [110])

περὶ τῆς αὐτῇ γεγενημένης παραφθορᾶς· ἀλλὰ καὶ γραμματικῶν καὶ ἁρμονικῶν οἱ ἐπ' ἄκρον παιδείας ἐληλακότες πολλὴν σπουδὴν περὶ τοῦτο πεποίηνται. Cf. Buretius *Mem. de l'Academ. des Inscript.* Tom. X. p. 188., laudatus Deswertio ad Heracl. Pont. p. 117.

107) Heyn. De Sec. Ptol. p. 108. sq.

108) Buhl. Arati Oper. Vol. II. p. 433.

109) Brunck. Analect. Gr. Tom. II. p. 66.

110) Primus vulgavit, ut ipse profitetur, hoc epigramma Fulv. Ursinus in Virgilio c. Gr. Scriptor. collato p. 15. ed. Valcke-

Ptolemaeum regem, huius epigrammatis scriptorem, Euergeten intellexit Iacobsius Anthol. Gr. Tom. XIII. p. 944., quo regnante Hermippus scripsit; Buttmannus autem, qui in Museo Antiquit. Tom. II. p. 463. sqq. de trium sub Ptolemaei regis nomine inscriptorum epigrammatum auctoribus (ap. Brunck. l. l.) accurate et copiose disputavit, Claudium Ptolemaeum, veterum astronomorum principem, qui Hadriani et Antonini temporibus floruit, et a medii aevi scriptoribus *Regis* nomine ornatus est. Quis fuerit germanus illorum scriptor, caeterum non moror. Tantum vero inde consequitur, eiusdem materiae, quam Aratus persecutus est, Hermippum etiam et Hegesianactem, Arato iuniores, pertractasse et pluribus libris (*βίβλοις*) evulgasse, adhibita oratione numeris soluta. Fuerunt autem haec de s i d e r i b u s scriptiones veluti Commentarii in Arati Phaenomena; quod quum iam per se sit verisimile, etiam Arati Scholiaste, qui Hermippi identidem utitur testimonio, confirmatur. Neque enim Hermippus praeter Phaenomena singulares in Aratea commentarios scripsisse existimandus est. Huc accedit, quod in eorum catalogo, qui Aratum commentariis illustrasse dicuntur (*οἱ πέρὶ τοῦ ποιητοῦ συνταξάμενοι*), Hermippus quoque Peripateticus disertis verbis nominatur. [111]) Prosa autem oratione

---

naer. Reliquos, qui illud publici iuris fecerunt et explanaverunt, vide ap. Jacobs. in Anthol. Gr. Vol. VIII. p. 195. Coll. Fabric. Bibl. Gr. Tom. IV. p. 109. Harl.

111) Legitur ille Catalogus in Petavii Doctrina Temporum Tom. III. p. 147. ed. Antwerp. 1703. inscriptus: *οἱ περὶ τοῦ ποιητοῦ συνταξάμενοι*, sub nomine Eratosthenis seu Hipparchi, licet neutrius eum esse constet. Bene monuit, praeeunte Fabricio Bibl. Gr. Tom. IV. p. 92., Al. Capellmannus ad Alexandr. Aetol. p. 5., scriptores Arato longe et antiquiores et recentiores cum veris Arati interpretibus ibi confundi atque commisceri. Ii enim scriptis suis astrologicis tantum argumentum Aratei poematis illustrarunt. Memorantur Parme-

dixi interpretatum esse Hermippum Arati poemata, subscribens sententiae Buttmanni l. l. p. 478. Namque in eum valere non potest, qui nullum unquam, quantum quidem scimus, versum edidit; quod Naekius de Alexandro Aetolo et de Ephesio (Sched. Crit. p. 7.) animadvertit, eorum mentionem in Catalogo interpretum Arati non de commentariis in Arati carmina accipiendam esse, sed illum alicubi de Arato testimonium edidisse, hunc opus *ἔμμετρον*, simile Phaenomenis. Si autem Arati gloriam et subtilitatem (*τὸ λεπτολόγον*) in Phaenomenon opere assequi Hermippus non potuerit, [112]) tamen adeo valuit eius apud posteros auctoritas, ut Platonici cuiusdam, sed Christiani scriptoris dialogus, scientiae astrologicae commendationem et apologiam continens, eius nomine inscriptus fuerit. Ipse in Dialogo illo colloquens inducitur, cuius initium est: *Ἀλλ' οὐ τοιοῦτόν τι τὸ Πρωτέως*

---

nides, Eratosthenes, Hermippus, Zeno, Thales, Hermippus Peripateticus, Callimachus, alii. Sed fortasse invitus in errorem simul se abripi passus est Capellmannus. Quum enim Hermippum cum Thalete et Parmenide „Arato longe antiquioribus" consociaverit, non cogitavit, Hermippum iuniorem esse Arato, et eosdem esse, qui ab oscitante Auctore Catalogi alter nude, alter cum *Peripatetici* epitheto disiuncti proferuntur. Neque de Berytio cogitaverim, nedum de Comico. — Arati interpretum recensum dedit Fabric. Bibl. Gr. Tom. IV. p. 94. seqq.

112) Arati Biogr. apud Buhl. l. l. p. 433.: *Ἀλλ' ὅμως πάντων λαμπρότερον ὁ Ἄρατος ἔγραψεν.* Coll. Epigr. Ptolem. Paullo abiectius alius Biographus indicat p. 446.: *Πολλοὶ μὲν μετ' αὐτὸν ἐγένοντο Φαινόμενα γράψαντες, καὶ οὐδεμιᾶς ἀξιοῦνται φροντίδος:* quanquam iam ab antiquis ipsius Arati astrorum scientia non magni aestimabatur. Cic. de Orat. I. 16.: „Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae, Aratum, ornatissimis atque optimis versibus de coelo stellisque dixisse — —."

ἣν παρ' Ὁμήρῳ φάσμα εἰς πολυειδεῖς μορφὰς ἐξαλλάττον, ὁποῖος ἐκ τῶν λόγων, ὦ Ἕρμιππε, ἡμῖν ἀναφαίνῃ κ. τ. λ.

Harlesius ad Fabric. Bibl. Gr. p. 159. „Illum," inquit, „dialogum graece et latine publici iuris fecit Fabricius Bibl. Gr. Vol. XII. p. 261. sqq." Sed ibi tantum capitum tituli graeci inveniuntur. —

DE HERMIPPI FIDE ET AUCTORITATE.

Recensitis Hermippi scriptis, ad eam iam quaestionem deducta est nostra oratio, ut dispiciamus, quae fuerit eius in rebus tradendis fides et veritas, quaeque auctoritas. Quodsi veritatis amor iudiciique integritas ubivis postulantur, maxime tamen ibi eluceant necesse est, ubi de viro scriptis claro ambigua, imo diversa exstant iudicia. — Quum autem ne unum quidem integrum servatum sit eius opus, fidesque ex eius duntaxat reliquiis cognoscenda sit, maxima adhibeatur cautio necesse est. Itaque veterum scriptorum iudicia inprimis exhibenda sunt, quibus integra eius opera adire licuit. Ac primum quidem audiendus Fl. Iosephus, a quo in libro c. Apionem I. 22. dicitur Hermippus ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἐπιμελής. Pariter Athenaeo audit ἀκριβής. Diligentiam eius in describendis Isocratis discipulis laudat Dionysius Halic., quamque in arte magica illustranda collocavit, Plinius. Sed plures nominari possunt, qui eius auctoritatem secuti sunt. Plutarchus in Vitis saepenumero eum ad partes vocat; at non omnium tradita Plutarchum miscuisse, eosque, qui gravioris essent auetoritatis, secrevisse a reliquis, scimus.113) Eiusdem fuit auctoritatis Phavorino et Sosicrati, qui eo saepius teste utuntur apud Diogenem Laertium; ne-

113) Cf. Heeren. De Fontib. Plut. p. 27. Cautionem adhibendam esse, ubi Plutarchus testes non excitat, docet Luzac. in Lect. Att. II. 15. p. 187.

que nominis eius nobilitas quenquam fugere potest, qui Diogenem et Athenaeum pervolutavit; quorum ille in mortis genere, quod quis philosophus passus sit, ac tempore afferendo Hermippi testimonio plerumque nititur, et, quod notatu dignum, ex Hermippi narratione epigrammata sua, quae adiicit, consarcinare solet. Quo nomine Hermippum ab hac parte accuratum fuisse apparet. Cf. Vita Chilon. l. I. segm. 72. Stilpon. II. 120. Platon. III. 2. Arcesil. IV. 44. Empedocl. VIII. 69. Heraclit. IX. 4. Zenon. IX. 27. Chrysipp. VII. 184. —

Ex recentioribus maximae auctoritatis viri, quorum iudicio equidem plurimum tribuo, Hermippum de historia philosophica meritissimum, praeclarae auctoritatis scriptorem, et probatum auctorem existimare non dubitarunt; ita Bruckerus Hist. Crit. Philos. Vol. I. p. 622. et Bentleius Diss. de Epistol. Socrat. p. 52. et 361. Non minore laude eum extollunt Ionsius De Scriptor. Hist. Phil. II. 9. 3., qui „Quantum," inquit, „profuturus nostrae historiae fuisset Hermippus, quantaque ea utilissimi scriptoris iactura sit, nemini ignotum esse potest, qui et fidem et diligentiam huius auctoris consideraverit;" et Humphredus Hodius in Diss. contra Histor. Aristeae p. 53., qui eum testem locupletissimum certissimumque atque omni exceptione maiorem praedicat. —

Sed audiendi sunt praeterea alii censores, quorum iudicia non pariter luculenta, imo fidem Hermippi et auctoritatem suspectam reddunt et infirmant. Quodsi ad illas, quas praescribit Cicero [114]) historiarum scriptoribus leges, exigimus scriptoris alicuius monumenta, quotusquisque tum, quaeso, fide dignus reperietur nullamque incurret in reprehensionem? Probe

---

114) De Orat. II. 15.; „Nam quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? Deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus" cet.

autem tenendum est, Hermippum scriptorem esse Alexandrinum, saeculi, quo vixit, labe infectum, (quod supra de Peripateticis demonstravimus,) quae qualis fuerit, ut clarius perspiciatur, pro memet verba faciat vir summae celebritatis Odofred. Muellerus [115]): „Aber wie wenig erkennt man doch die alterthümliche Einfachheit und Naivetät, die der Reflexion unbedürftige Sicherheit und Nothwendigkeit des Thuns, welche alle ächten Ueberlieferungen aus jener Zeit (sc. de antiquis legis latoribus) darstellen, in Ephorus und Hermippus und ihrer Nachfolger Darstellungsweise. Diese hatten die Tendenz, das Andenken des Alterthums der Zeitgeschichte zu assimiliren und das Bestreben, jede Thatsache aus irgend einer einzelnen Ueberlegung, aus einem Raisonnement, wie es ihrer Zeit gemäss war, hervorgehen zu lassen. Sie haben wahrhaft schonungslos den edeln Rost der alten Tradition abgerieben, und die bewegenden Grundideen jener Zeit verkennend, die erhaltenen Thatsachen in einen modern-pragmatischen Zusammenhang hineingezwungen." Meum esse nequit, hanc tanti viri sententiam evellere velle; nam iustissima est reprehensio; imo id, quod soli Hermippo vitio verti solet, scriptorum illius aevi omnino esse, ex Muelleri disputatione aperte intelligitur. — Sed aeque gravis est momenti, si vitiorum arguitur, quae ab historico omnino abesse debent. Luzacius enim, [116]) licet eius diligentiam et fidem accusare nolit, vix tamen ullum esse inter Vitarum auctores asserit, cuius maior credulitas aut in narrandis factis dubiis levior facilitas demonstrari possit. De communi hac levitate et credulitate Peripateticorum iam supra disputavimus. Quae autem hic obiicit Luzacius Hermippo, non dubito quin ex Meinersii, [117]) infestissimi Hermippi adversarii,

115) *Dor.* Pars I. p. 187.
116) Lect. Att. II. 9. p. 148.
117) *Gesch. des Urspr.* cet. Vol. I. p. 228.

sententia et auctoritate profecta sint. Infenso scilicet et livido animo tantum non omnes persequitur Luzacius Philologos e Lyceo profectos, propterea quod Socrati duas imputarunt uxores, et plerasque de hoc sapiente commentiti sint fabellas. Huius quidem calumniae auctores praecipuos Aristoxenum, [118]) Hieronymum Rhodium et Satyrum notat, sed si recte intelligo, etiam Hermippum. [119]) Tamen in hisce viris vellicandis non acquiescit; plerosque enim Aristotelicos calumniae studio indulsisse arguit, et malevolo usos esse animo in viros nullis maculis offuscatos, maxime in Socraticos et Isocraticos. Hac quidem in caussa nolo cum Luzacio decertare; nam video eum, et videt quisque, non sine ira scripsisse. Facere autem non possum, quin ea calumniae exempla, quae in Hermippi scriptis reperisse sibi videtur Vir Cl., neque satis iusta, neque sontica habeam. Scilicet memoriae tradidit Hermippus (apud Diogenem L. VIII. 85.), Platonem philosophum ex Philolai libris emtis Timaeum suum transscripsisse. Quod quia affirmavit *λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων*, suppresso nomine scriptoris, id ex industria factum et ex putido haustum fonte autumat Luzac., forte ex calumniae amante Timone Sillographo, [120]) aliisve. Inde Hermippum inter eos Vitarum scriptores numerat, „qui in narrandis rebus incredibilibus, sed plerumque parum decoris, foedis etiam et inhonestis, de viris sapientiae et virtutis laude claris, nimis libenter ac saepe

118) Cf. Mahn. Diatrib. de Aristoxeno p. 87.

119) Luzac. Lect. Att. p. 262.

120) Quod Timonem Sillographum subaudiat, alio Diogenis L. loco inductum arbitror (X. 2.), ubi re vera Hermippus Timonis testimonium profert. Quanquam Luzacius ipse nihil de hoc loco monuit. — Non obversabatur Luzacio aliud Athenaei de Platonis malignitate testimonium, et Gellii de Demosthene, quae forte fortuna videlicet ad corroborandam Luzacii sententiam servata sunt. Haud dubie inde quoque Hermippi in Platonem odii argumentum petisset.

versati reperiantur." [121]) Quanquam non solus Hermippus illa de Philolai libris tradidit. Vid. Diog. Laert. l. l. Eo nomine Peripateticorum Vitarum scriptorum, quippe quorum in Platonem et Platonicos odium tam manifestum sit, et quum nulla fere in Historia philosophica inveniantur opprobria Platoni facta, quin aliquem Peripateticorum habeant auctorem, idoneam esse posse nullam in iudicio auctoritatem. Quae igitur de Socratis Platonisve vita, moribus et factis memoriae prodiderint, magis speciem referre blasphemiarum, quam simplicis narrationis. [122]) — Aliud malevolentiae exemplum in eo nititur, quod Anaxarchi, philosophi Eudaemonici, famam arrodere (praeeunte Clearcho Solensi) non erubuerit; [123]) Callisthenem contra, illius obtrectatorem, laudibus extulerit. Hoc quoque loco subodoratus est Luzacius Peripateticorum livorem et odium, quibus illi hominem premere conabantur, intima Alexandri familiaritate gaudentem. Non cogitarat autem Vir Cl. de morum Callisthenis austeritate, et libertate assentandi nescia. Unde sophistae, in iis etiam Anaxarchus, Alexandro adulantes, a Callisthene exasperati, quavis occasione eum apud regem criminabantur. [124]) — Praeterea etiam Lyconis et Arcesilai famam minus secundam ad posteros ex industria propagasse Hermippus ab eodem Luzacio coarguitur, propterea quod nimiae Lyconis in vestitu munditiae et elegantiae a Diogene L. testis adhibeatur, et Arcesilaum mero se ingurgitasse atque inde furore perculsum in mortem incidisse narret; ita ut quaecunque *αἰσχρολογίας* exempla apud Diogenem L. legantur, ab Hermippo aut aliis Peripateticis originem ceperint. [125]) Sed mitto illa. De Peripateticorum

---

121) Luzac. Lect. Att. p. 196. et II. §. 27.
122) Luzac. l. l. II. 3. p. 111.
123) Plut. Vita Alex. M. p. 695. e. Luzac. p. 188. et 193.
124) Buhl. Aristotel. Oper. I. p. 97.
125) Luzac. l. l. II. 19. p. 227. (24.)

et Isocraticorum simultatibus iam supra dictum est. An vero etiam Hermippum earum participem habeam, uti, si Luzacii auctoritatem sequerer, rei consentaneum esset, valde haereo; neque enim ex levissimis vestigiis colligi aliquid potest. Narrat quidem Hermippus, Isocratem aetate iam provectum pellicem in domum recepisse, atque ex ea progenuisse filiolam; unde quis Isocratis libidinem consulto significatam cognoscere possit. Demosthenis pariter vitam fuisse dissolutam, teste Suida ex Hermippo comperimus. Num vero eam ob caussam id narratum putemus, ut carperetur Isocrates, et dedecorarentur mores Demosthenis? num ex instituto studuisse malevolentiae Hermippum? Nonne, si errores re vera commisit, ii levi potius et quasi festinanti minusque perpensae scribendi rationi tribuendi, quam ex ingenii labe repetendi? Ne ego quidem, dum Hermippi caussam ago, eum magna usum in historia tradenda crisi existimo, neque in viris pono felicioris et subactioris ingenii, neque tandem ab omni credulitate liberum iudico. Nihilo minus tamen eum a malevolo Luzacii, et moroso atque indigno Meinersii [126]) iudicio et contemtu vindicandum esse arbitror, quorum hic non hebes solum ingenium cum livore in eo reprehendit, sed cunctas eius narrationes despectui habet. Laudatum quidem esse inquit Iosepho, lenocinaturo ei propter honorificam Iudaeorum mentionem, e quorum doctrina Pythagoras quaedam hausisset, nullius tamen auctoritatis habendum, quum Pythagoram simul fraudulentum et stupide superstitiosum finxerit. Primum esse Hermippum, qui magicas artes docuerit et crediderit; et multa alia praeterea expromit Meinersius vitia et opprobria, rationibus fere nullis stabilita, quae hic repetere taedet. „Sed solet Vir Cl. una sententia condemnare scriptores, si quid prodiderunt, quod ipse non probat, et absolute pronunciare, nec gradus verisimilitudinis satis ubique notare." Conferenda

126) L. l. Vol. I. p. 228. sqq.

est inprimis Wyttenbachii Censura Meinersii operis in Bibl. Crit. Vol. II. P. VIII. p. 95. sq. Quodsi Hermippum credulitatis iure insimulamus, num fabulas, quibus refersit scripta sua, praecipue libros de Pythagora, num, inquam, quod vult Meinersius, ab ipso confictas eodemque loco ac verum habitas existimemus? Nonne ante eum Dicaearchus, Clearchus et alii eadem tradidere? Scilicet Hermippus ea retulit, quae vulgo celebrabantur, non ex suo iudicio, sed ex opinione vulgari, [127]) caeteroquin parum sollicitus, verane sint an falsa. Non autem res falsas in vulgum sparsit, ut credulam plebem oblectaret. Huc accedit, quod ab illius temporis hominibus rerum mirabilium amantibus et curiosis, quae ab Oriente originem trahebant, vetusta Pythagorae scripta denuo cupide in lucem protrahebantur. [128]) Possunt enim fabulae interponi rebus gestis cum ignorantia veri, tum mirationis delectationisque caussa (*τερατείας καὶ τέρψεως χάριν*, Strabo I. p. 116. Siebenk.), ita tamen, ut verum eruatur, fabularum involucris contectum, id quod Plut. Vit. Alex. c. 35. vocat *τὸν μῦθον ἀνασώζειν πρὸς τὴν ἀλήθειαν.* [129]) — Quodsi igitur errores, quos commiserit Hermippus, respicimus, (quis enim ab erroribus immunis scriptor?) discriminandum est, consultone ab eo peccatum sit, an negligentia, an veri ignoratione, an denique eius ipsius sint errata, non Laertii, non Athenaei aliorumve, qui eo teste usi sunt, scriptorum. Ex industria eum verum occultasse, prorsus nego, quamvis id identidem factum esse, satis aperte Luzacius indicare videatur. Saepenumero ipsa librariorum oscitatio culpam ei admovit, ubi ea prorsus caret; unde insons in reprehensionem incurrit Bentleii, quod memoriae prodiderit, Socratem scripsisse Consolationem de Gryllo, Xenophontis filio. Sed falsum esse Bentleium et errore Codicis deceptum, suo loco demonstrabitur. — Quem errorem in Vita

---

127) Cf. Ritter. *Gesch. der Pythagor. Philos.* p. 78.
128) Ritter. l. l. p. 74.
129) Creuzer. in praefat. ad Ephori Fragm. ed. Marx. p. VII.

Socratis et Demetrii Phalerei commisit Hermippus, is a plerisque scriptoribus ita propagatus est, ut et ipsum Quintilianum, maximi iudicii virum, latuisse videatur; unde facile cognoscas, quantum valuerit Hermippi auctoritas.

DE FONTIBUS HERMIPPI.

Difficillimum foret omnes Hermippi, quoscunque in tanta librorum mole adierit, investigare velle fontes. Quod ubi fieri potuit, iam supra passim non intermisimus. Hic tamen operae pretium facturi nobis videmur, si indicabimus scriptores, quos in fragmentis hucusque servatis ipse excitat Hermippus. Quodsi in iis scriptores, quorum usus est testimonio, nominare non omiserit, rei consentaneum est, ut eum in integro opere aeque accurate fuisse versatum credamus. In Philolai Vita non nominavit quidem auctorem, sed dicit tantum *λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων*, cuius historici nomen puto eius memoriae forte excidit. Si alium locum in Vita Lycurgi: *καίτοι φασί τινες, ὡς Ἕρμιππος μνημονεύει*, contuleris, non ubivis scriptorum nomina apposuisse Hermippum, persuasum habebis, scilicet sufficere ratum, etiam alios eadem testari. — In Solonis Vita testes allegat E u a n t h e n S a m i u m et P a t a e c u m, nescio an aliunde praeterea notos. In Vita Theophrasti ad partes vocat A r c e s i l a u m P i t a n o e u m Academicum, Xanthi Musici discipulum (vid. Ions. De Scriptor. H. Phil. II. 1. 2. I. 19. 2.). In fragmento, quod partem operis de Mirabilibus esse conieci, A r i s t o c l e o n e m quendam laudat. In Vita denique Demosthenis ex C t e s i b i o historico, quem Vossius De Histor. Gr. I. 15. Ptolemaei Philadelphi temporibus floruisse credit, quaedam allegat. In hac autem Vita conscribenda plagii suspectus est; nam P a p p i cuiusdam, ipsi Plutarcho ignoti, historiam recoxisse dicitur (*Πάππος δέ τις, οὗ τὴν ἱστορίαν Ἕρμιππος ἀνείληφε* —). Similis culpae indicium in eadem Vita reperitur; quandoquidem Hermippus se libros legisse carentes scriptoris nomine praetendat (*ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν*. — Num Pappus fuit ille *ἄγνωστος*?

HERMIPPI SMYRNAEI FRAGMENTA.[130])

Cap. I.
SCRIPTA HISTORICA.

§. 1.
DE SEPTEM SAPIENTIBUS.

EX LIBRIS INCERTIS.

Fragm. I.

Diog. Laert. lib. I. segm. 42.: Ἕρμιππός δ' ἐν τῷ περὶ τῶν [ἑπτὰ] σοφῶν ἑπτακαίδεκά φησιν, ὧν τοὺς ἑπτὰ ἄλλους ἄλλως αἱρεῖσθαι· εἶναι δὲ Σόλωνα, Θαλῆν, Πιττακόν, Βίαντα, Χείλωνα, Μύσωνα, Κλεόβουλον, Περίανδρον, Ἀνάχαρσιν, Ἀκουσίλαον, Ἐπιμενίδην, Λεώφαντον, Φερεκύδην, Ἀριστόδημον, Πυθαγόραν, Λᾶσον Χαρμαντίδου ἢ Σισυμβρίνου, ἢ ὥς Ἀριστόξενος, Χαβρίνου Ἑρμιονέα, Ἀναξαγόραν.

---

130) In textu, quem dicunt, constituendo secutus sum in locis ex Athenaeo derivatis Diudorfii editionem, non neglecta tamen Schweighaeuseriana; in locis Plutarchi Schaeferi consului editionem, in Diogenis vero Laertii Huebnerianam; quae quidem ad librum V. hucusque tantum perducta, multis iam nominibus laudanda est. Summam autem huius disquisitionis in eo positam existimavi, ut in probabilem redigerem ordinem Hermippi reliquias; et quae ad eas illustrandas post copiosos in Athenaeum, Plutarchum, Diogenem caeterosque interpretum commentarios de meo addere licuit, haec tantum parva habeantur velim mantissa, illorumque supplementum.

Libri Hermippei titulum auctore Athenaeo X. 443. a. restituendum et vocem ἑπτὰ inserendam putavi. — Recte observavit, praeeunte Casaubono, Menagius, mutilum esse uno verbo Diogenis L. Codicem, qui tantummodo sedecim exhibet, licet Hermippus decem et septem sapientes fuisse tradat. Secutus igitur Casaubonum, post *Χείλωνα Μύσωνα* reposui, quod nomen propter similitudinem cum voce *Χείλωνα* facile excidere potuit. Mysonem autem in Septem Sapientibus habitum fuisse, testis est idem Diogenes I. 106. — Magnam de illorum Sapientum numero discordiam esse, ipse Diogenes Laert. paullo ante testatur. Scilicet numerus Sapientum, qui dicuntur, neque ipsorum aetate, nec postea certo definitus erat. Plato primus Septem celebravit, alii vero scriptores delectum alio modo fecerunt. Cf. Brucker. Histor. Phil. I. p. 442. — Anacharsidem inter Septem numeratum fuisse, testatur Clem. Alex. Strom. I. p. 129. Sylb. et Maxim. Tyr. Dissert. XXI. De Acusilao idem Clemens l. l.: *οἱ δὲ Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκατέλεξαν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς.* De Acusilao vid. Voss. De Histor. Gr. I. 1. sq. IV. 2. Ions I. 3. 6. Menag. ad h. l. — *Λᾶσον Χαρμαντίδου ἢ Σισυμβρίνου.* Haec Diogenis verba ex Aristoxeni opere *Περὶ Μουσικῆς* sumta putat Ions. l. l. *Σισυμβρίνου* dedi cum Huebnero, quam lectionem commendant Steph., Cod. Arund., Ambrosius et libri Mss. Menagii. Pro *Χαβρίνου* habet Suidas s. v. *Λᾶσος* et Schol. Arist. Vesp. v. 1401. et 1403. *Χαρβίνου. „Λᾶσος Χαρβίνου Ἑρμιονεὺς, πόλεως τῆς Ἀχαΐας, γεγονὼς κατὰ τὴν νή Ὀλυμπιάδα, ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου. τινὲς δὲ τοῦτον συναριθμοῦσι τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς ἀντὶ Περιάνδρου."* De Laso accurate Meurs. ad Aristox. Harm. Elem. p. 141. et Meibom. p. 78. Pherecydem in Septem Sapientum numerum relatum fuisse, testatur etiam Clem. Alex. Strom. I. p. 299. d. Cf. Diog. L. I. 13. A Plutarcho in Pelopida p. 289. a. vocatur *σοφός.* Cf. Sturz. Pherecyd. Fragm. p. 31.

Chilo.

Fragm. II.

Bekk. Anecd. I. p. 233. 13.: *Γνῶθι σαυτὸν, ἀπόφθεγμα· οἱ δὲ Χείλωνός φασιν. Ἕρμιππος δὲ Δελφὸν εὐνοῦχόν φησιν εἰρηκέναι τὸ γνῶθι σαυτὸν καὶ ἐν τῷ ναῷ ἐπιγράψαι*

Dicta Sapientibus tribui solita, iam inter antiquos scriptores, cuinam singula proprie vindicanda essent, parum constabat. Praeceptum *γνῶθι σαυτὸν* Chiloni, Damageti filio, Lacedaemonio, vulgo tribuitur. (Scribitur *Χίλων* et *Χείλων* promiscue. Bekker. h. l. *Χείλωνος*, in Pausan. p. 857. med. *Χίλωνι*; sic etiam in Schol. Venet. Il. *Γ*. 53.) Diog. Laert. I. 39. (nullum adhibens testem, sed est fortasse Chamaeleon, laudatus apud Bekker. l. l.: *Χαμαιλέων δὲ Θαλοῦ φησιν ταύτην τὴν γνώμην*:) ad Thaletem refert, quod Antisthenes in Successionibus ait fuisse Phemonoës, idque sibi usurpasse Chilonem. Schol. Venet. ad Il. *Γ*. 53. docent, non Chilonis, sed Homeri esse, „*οἵου φωτὸς ἔχεις θαλερὴν παράκοιτιν· οἷος ὤν, φησί, τίνα τίνος ἐστέρησας. οὐκ ἄρα Χίλωνος, ὡς ὑποφαίνεται, δόγμα τὸ γνῶθι σαυτὸν, ἀλλ' Ὁμήρου.*" Pariter aliam *γνώμην* Chilonis, *Μηδὲν ἄγαν*, alii non Chiloni, sed Sodamo cuidam tribuunt, alii aliter; cf. Boissonad. Anecdot. Gr. Vol. I. p. 127., qui conferri iubet Interpretes ad Aristot. Rhet. II. 12. 14., Iacobs. ad Epigr. incert. 508., et sua ad Eurip. Hipp. 265. Vid. Menag. ad Diog. L. I. 41. Dictum Chilonis: *ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα*, Pittaco tribuit Stobaeus; Didymus apud Clement. I. p. 129. Thaleti; cf. Menag. ad Diog. L. I. 73. Ita Schol. Soph. Antig. v. 175.: *Οἱ μὲν Χίλωνι ἀνατιθέασι τὴν γνώμην, οἱ δὲ Βίαντι, ὅτι ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσιν.* Dictum Chilonis „Nosce te ipsum" primarium erat praeceptum veteris philosophiae, a Tragicis graecis multum usurpatum. Vid. Meinek. ad Fragm. Philem. et Menandr. p. 417. Ad dictum hoc illustrandum multa multi congesserunt; cf. Stallbaum. ad Phileb. p. 150, Alberti ad Hesych.

in v. *Γνῶθι σαυτόν*, Creuzer. ad Procul. in Alcib. p. 5. et inprimis Boissonad. Anecd. Gr. Vol. I. p. 127. Antonius Melissa peculiari scripto *Περὶ τοῦ γνῶθι σαυτὸν* egit. Persii satira quarta hoc Chilonis praecepto nititur et Terentii Varronis apud Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 308. — Aureis litteris consignata fuisse Chilonis dicta in foribus templi Delphici, refert Plinius Hist. Nat. VII. 32., Pausan. p. 857. init. ed. Kuhn. Unde autem sua derivaverit Hermippus, Delphicum eunuchum auctorem esse illius sententiae, non exputo. Cf. Cic. de legib. I. 22. med.

Fragm. III.

Diog. Laert. I. 72.: *Ἐτελεύτησε δὲ* (Chilo), *ὥς φησιν Ἕρμιππος, ἐν Πίσῃ, τὸν υἱὸν Ὀλυμπιονίκην ἀσπασάμενος πυγμῆς.*

Editio Frobeniana exhibet *Πίσσῃ*, per geminum sibilum. Sed praeferenda lectio *Πίσῃ*. *Πίσα* enim de urbe agnoscit Zonaras Lex. Gr. p. 1549. Wesseling. in Herod. II. 7. *Πίσαν* restituit pro *Πίσσαν* et *Πεῖσαν*, quam legem viri docti hodieque sequuntur. Vid. Creuzer. Melet. P. I. p. 19. Fluctuans haec lectio Lessingio (in Animadvers. ad Winkelm. Histor. Artis p. 11.) imposuit, ut ex loco Apollodori II. 6. 3., ubi *ἐν Πίσσῃ* legebatur, veteres artifices pice ad opera formanda usos esse colligeret. Cf. *Mus. der Alterthumswiss.* ed. a *F. A. Wolff.* et *Buttm. Vol. I. p.* 366. Chilonem filium in ludis Olympiacis victorem amplexum, immodica laetitia oppressum esse, testatur etiam Plin. VII. 32.: „Quin et funus eius, quum victore filio Olympiae exspirasset gaudio, tota Graecia prosequuta est." Coll. Tertull. de anima sect. 52., quem laudat Menag. ad h. l. Odofred. Mueller. (*Dor.* P. II. p. 307.) Chilonis filium in caestuum certamine prodisse negat, propterea quod Spartiatae nunquam caestuum neque pancratii participes fuerint, et pueris in pancratio prodire tempori-

thiorum emendare et luxuriam vitamque dissolutam disciplina severiore temperare. Quod ut efficeret, etiam servis uti vetuit, et mulieres in panegyri auro spoliavit; cf. Diog. Laert. I. 96. Herod. V. 92. De Theopompi narratione vid. Wichers. ad Theopomp. p. 255.

Epimenides.

Fragm. VI.

Proculus Schol. in Hesiod. ἔργα καὶ ἡμ. v. 41. (Gaisford. Poet. Min. Gr. Vol. III. p. 55.): Ἕρμιππος ἐν τῷ τῶν ἑπτὰ σοφῶν περὶ τῆς ἀλίμου λέγει· (μέμνηται δὲ τῆς ἀλίμου καὶ Ἡρόδωρος ἐν τῷ πέμπτῳ τοῦ καθ' Ἡρακλέα λόγου, καὶ Πλάτων ἐν γ' τῶν νόμων·) Ἐπιμενίδην φησὶ μικρόν τι ἐδεσμάτιον προσφερόμενον ὧδε διὰ ὅλην τελεῖν τὴν ἡμέραν· ἦν δ' ἐξ ἀσφοδέλου καὶ μαλάχης, ὅπερ αὐτὸν ἄλιμον καὶ ἄδιψον ἐποίει.

Καὶ Ἡρόδωρος bene restitutum iam a Casaubono ad Athen. II. 58. f. pro Ἡρόδοτος. Quod ad Platonem attinet, non alia intelligenda sunt verba in lib. III. de Leg., quam quae intellexit Schweigh., quae sunt statim in initio libri: ὃ λόγῳ μὲν Ἡσίοδος ἐμαντεύετο πάλαι, τῷ δ' ἔργῳ ἐκεῖνος (sc. Epimenides) ἀπετέλεσεν. Eadem sententia exposita est ap. Plutarch. in Sept. Sapient. Conviv. cap. 14. et 15. p. 157. sq. ed. Francof. Cf. praecipue Heinrich. De Epimenide Cretensi p. 67. sqq. — περὶ τῆς ἀλίμου λέγει. Subintelligit Casaubon. ad Athen. l. l. σύνθεσιν seu φαρμακείαν aut κατασκευήν, i.e. remedium quoddam contra famem et sitim, unde nomen utrumque ἀλίμου et ἀδίψου. Sapientes priscos hoc remedio usos legimus pro cibo et potu; sine dubio autem, ut simplicissimo hoc victu et continua sobrietate aequa semper animi valetudine gauderent, uti iam optime exposuit Plut. l. l. Epimenidem, qui primus hoc pharmaco usus esse traditur,

secuti sunt Pythagorei. Diserte hoc de Pythagora commemoratur apud Porphyrium V. Pyth. sect. 34.: Ὁπότε θεῶν ἀδύτοις ἐγκαταδύεσθαι μέλλοι καὶ ἐνταῦθα χρόνον τινὸς ἐνδιατρίψειν, ἀλίμοις ἐχρῆτο καὶ ἀδίψοις τροφαῖς. Iam sequuntur singula, ex quibus pharmacum illud sibi composuerit Pythagoras. Cf. de Alimo Pythagoricorum Antiphanem Comicum apud Athen. IV. 161. a. et quos allegat Schweigh. ad Athen. l. l. Hermippus dicit ἄλιμον constitisse ἀσφοδέλῳ et μαλάχῃ. De asphodelo herba vid. Theophrastus Histor. Plant. VII. 12., Dioscorides II. 159. sq., Plin. H. N. XX. 32., Zoëga de Obeliscis p. 300., et reliqui, quos attulit Creuzer. Melet. P. I. p. 90. Μαλάχη est malva rotundifolia s. sylvestris s. mauritiana; cf. Dioscorides II. p. 144. laudatus Schuchio — Scriptura vocis ἄλιμος fluctuat inter ἄλιμος et ἄλιμος. Athenaei autem Cod. in ἄλιμ. consentire, testatur Schweigh. ad Athen. l. l. Apud Suidam Ἄλιμον substantive est βοτάνη δενδροειδὴς παρὰ θάλασσαν. ἔστι δὲ γεννητικὸν γάλακτος καὶ σπέρματος. Cf. Rittershusius ad Porphyrii l. l.

Fragm. VII.

Athen. II. 58. f.: Ἕρμιππος δ' ὁ Καλλιμάχειος καὶ εἰς τὴν καλουμένην φησὶν ἄλιμον, προσέτι τε ἄδιψον, ἐμβάλλεσθαι τὴν μαλάχην, οὖσαν χρησιμωτάτην.

Iam primo obtuitu apparet, ex eodem libro de Septem Sapientibus sumta esse, quem ob oculos habuit Proculus (fragm. VI.). Itaque non iniuria Schweigh. in sua editione titulum libri ab Epitomatore omissum ex Proclo supplevit. Sermo est de mixtura alimi. — Cf. Creuzer. Melet. I. p. 90.

Anacharsis.

Fragm. VIII.

Diog. Laert. I. 101.: Λέγει δὲ αὐτὸν (Anacharsidem) Σωσικράτης ἐλθεῖν εἰς Ἀθήνας κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν

ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκράτους. Ἕρμιππος δὲ πρὸς τὴν Σόλωνος οἰκίαν ἀφικόμενον τῶν θεραπόντων τινὶ κελεῦσαι μηνύσαι, ὅτι παρείη πρὸς αὐτὸν Ἀνάχαρσις καὶ βούλοιτο αὐτὸν θεάσασθαι, ξένος τε, εἰ οἷόντε, γενέσθαι. καὶ ὁ θεράπων εἰσαγγείλας ἐκελεύθη ὑπὸ τοῦ Σόλωνος εἰπεῖν αὐτῷ, ὅτι περ ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσι ξένους ποιοῦνται. ἔνθεν ὁ Ἀνάχαρσις ἐλθὼν, ἔφη νῦν αὐτὸς ἐν τῇ πατρίδι εἶναι, καὶ προσήκειν αὐτῷ ξένους ποιεῖσθαι. ὁ δὲ καταπλαγεὶς τὴν ἑτοιμότητα εἰσέφρησεν αὐτὸν καὶ μέγιστον φίλον ἐποιήσατο.

Eadem, quae Laertius, refert quoque Plut. V. Solon. c. 5., etsi paullo succinctius. Opus Hermippeum ob oculos habuisse Plutarchum, certissimum est. Locus Plutarchi ita habet: *Ἀνάχαρσιν μὲν εἰς Ἀθήνας φασὶν ἐπὶ τὴν Σόλωνος οἰκίαν ἐλθόντα κόπτειν καὶ λέγειν, ὡς ξένος ὢν ἀφῖκται. φιλίαν ποιησόμενος καὶ ξενίαν πρὸς αὐτόν. ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Σόλωνος, „Οἴκοι βέλτιόν ἐστι ποιεῖσθαι φιλίας," „Οὐκοῦν," φάναι τὸν Ἀνάχαρσιν, „αὐτὸς ὢν οἴκοι σὺ ποίησαι φιλίαν καὶ ξενίαν πρὸς ἡμᾶς." οὕτω δὴ θαυμάσαντα τὴν ἀγχίνοιαν τοῦ ἀνδρὸς τὸν Σόλωνα δέξασθαι φιλοφρόνως καὶ χρόνον τινὰ σχεῖν παρ' αὐτῷ, ἤδη τὰ δημόσια πράττοντι καὶ συνταττομένῳ τοὺς νόμους.* Eadem Tzetz. Chiliad. IV. v. 924. sqq. (p. 193. Kiessl.) ex Plutarcho, uti videtur, narrat; nam claudit narrationem verbis: *τοῖς παραλλήλοις Πλούταρχος γράφει τὴν ἱστορίαν.* Venisse Anacharsidem usque in Graeciam et apud Solonem in magna fuisse admiratione, refert Aelian. Var. Hist. V. 7. —*Εἰσέφρησεν.* Ita optime edit. Stephan., i. e. *admittere*, quod per *δέξασθαι* Plutarchus expressit. Ed. Froben. *εἰσέφρικεν*, quod sensu cassum.

LIB. IV.

E u d o x u s.

Fragm. IX.

Diog. Laert. VIII. 88.: *Ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν*

ἐπιφανέστατος ἐγένετο (Eudoxus), *γράψας τοῖς ἰδίοις πολίταις νόμους, ὥς φησιν Ἕρμιππος ἐν τετάρτῃ περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, καὶ ἀστρολογούμενα, καὶ γεωμετρούμενα, καὶ ἕτερ' ἄττα ἀξιόλογα.*

Eudoxus, cuius hic fit mentio, Cnidius fuit, Pythagoreus; floruit Ol. CIII. 1., 368. a. C., Medici, Geometrae atque Astronomi nomine clarus. Patriam urbem et Miletum legibus instruxit. Plut. advers. Colot. (Vol. X. p. 629. Reisk.): *Εὔδοξος δὲ Κνιδίοις καὶ Ἀριστοτέλης Σταγειρίταις — νόμους ἔγραψαν.* Cf. Theodoret. Serm. IX., laudatum Menagio ad h. l. — Sub astrologumenis Eudoxi intelligenda sunt eius *Φαινόμενα.* Scriptor vitae Arati (Buhl. Oper. Arati Vol. II. 433.): *Καὶ γὰρ Εὔδοξος ὁ Κνίδιος ἔγραψε Φαινόμενα.* Erant haec Phaenomena in duas partes distributa, quarum altera *ἔνοπτρον* seu *κάτοπτρον* vocabatur, altera Phaenomena strictiori sensu. Cf. Gell. XVII. 21. Suidas s. v. *Εὔδοξος.* De Geometrumenis et reliquis Eudoxi operibus illustribus cf. Menag. ad h. l.

---

§. 2.

DE LEGIS LATORIBUS. LIB. I.

Fragm. X.

Origen. contra Celsum I. p. 13. (ed. Spencer. Cantabrig. 1658.): *Λέγεται δὲ καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι, Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν.*

Cf. Flav. Ioseph. c. Apion. I. 22. fragm. 43. et quae in Prolegom. de Pythagora disserui.

Fragm. XI.

Athen. IV. 154. d.: *Ἕρμιππος δ' ἐν πρώτῳ περὶ*

νομοθετῶν τῶν μονομαχούντων εὑρετὰς ἀποφαίνει Μαντινεῖς, Δημώνακτος, ἑνὸς τῶν πολιτῶν, συμβουλεύσαντος· καὶ ζηλωτὰς τούτου γενέσθαι Κυρηναίους.

Mantineenses rem militarem diligenter exercuisse, narrat Athenaeus eodem loco ex Ephoro, unde etiam prisca armatura vocatur *Mantinica*. Demeas Mantineensis hoplomachiam sive artem digladiandi primus docuisse dicitur ab eodem Athenaeo l. l.

LIB. II.

Fragm. XII.

Porphyr. *περὶ ἀποχῆς* lib. IV. §. 22. p. 378. Rhoer.: *Τῶν τοίνυν Ἀθήνησι νομοθετῶν Τριπτόλεμον παλαιότατον παρειλήφαμεν. περὶ οὗ Ἕρμιππος ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν νομοθετῶν γράφει ταῦτα· „Φασὶ δὲ καὶ Τριπτόλεμον Ἀθηναίοις νομοθετῆσαι."*

Corrigendus est error Rhoerii ad h. l., qui Hermippum *ἐν δευτέρῳ περὶ νομοθετῶν* allegari praeterea dicit a Diogene Laert. in Vita Pythagorae. Affertur enim ibi secundus liber Vitae Pythag., nullus vero de legis latoribus. — Ex legibus Triptolemi tres Eleusine exstitisse refert apud Porphyr. l. l. Xenocrates, medicus Aphrodisiensis, scilicet *γονεῖς τιμᾶν· θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν· ζῶα μὴ σίνεσθαι.* Cf. Brucker. l. l. Vol. I. p. 406.

LIB. VI.

Fragm. XIII.

Athen. XIV. 619. b.: *Ἤιδοντο δὲ Ἀθήνησι καὶ οἱ Χαρώνδου νόμοι παρ' οἶνον, ὥς Ἕρμιππός φησιν ἐν ἕκτῳ περὶ νομοθετῶν.*

Refutatur hoc loco Stephanus Byzant., qui scribit s. v. *Κατάνη· Χαρώνδας ὁ διάσημος τῶν ἐν Ἀθήνησι νομοθετῶν.* Vid. Wesselingii Praefat. ad Petiti Leg. Att. p. III. Ex

Hermippi testimonio tantummodo constat, leges Charondae Athenis inter pocula cantatas fuisse, unde eas ibi in honore quidem habitas iure colligas, non autem in foro fuisse receptas. — *Νόμοι* autem vere h. l. dicuntur *leges*, non *cantus*. Frustra igitur fuit Dalecampius, uti refert Schweigh. ad hunc Athenaei locum, modos musicos interpretatus. Vid. Bentleius De leg. Charondae p. 360. Evicit Bentl. l. l., Charondae leges ante fuisse cantatas Athenis, quam latae sint Solonis aut Draconis leges. Constat autem, antiquissimos leges, quas tabulis nondum haberent descriptas (Petit. Leg. Att. p. 191.), cantasse, ne obliviscerentur, uti moris fuit apud Cretenses, teste Aeliano V. H. II. 39., et apud Agathyrsos, quod observat Aristoteles Problem. XIX. 28.: *Διὰ τί νόμοι καλοῦνται, οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα, ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται, ὥσπερ ἐν Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι;* Idem Strabo XII. p. 539. de Mazacis, Cappadociae populo, observat, usos fuisse legibus Charondae, *αἱρούμενοι καὶ νομῳδόν, ὅς ἐστιν αὐτοῖς ἐξηγητὴς τῶν νόμων*. Quo ex loco demonstravit Bentl., Charondae leges in versus et numerum fuisse redactas, quam ob caussam etiam Athenis cani potuerint, ad instar Scoliorum, uti illud est ex Charondae legibus de prava consuetudine apud Athen. XV. p. 695. c. — Charondae leges recenset Diodorus Sicul. XII. 12.; sed omnes sunt commentitiae. Bentl. l. l. p. 351. sq. —

EX LIBRIS INCERTIS.

Fragm. XIV.

Athen. XIII. 555. c.: *Καὶ γὰρ τὰς γαμετὰς ὁ καλὸς ἡμῶν ἑστιάτωρ ἐπαινῶν, Ἕρμιππον ἔφη ἐν τῷ περὶ νομοθετῶν ἱστορεῖν, ὅτι ἐν Λακεδαίμονι εἰς οἴκημά τι σκοτεινὸν πᾶσαι συνεκλείοντο αἱ κόραι, συγκλειομένων καὶ τῶν ἀγάμων νεανίσκων· καὶ ἕκαστος ἧς ἐπιλάβοιτο, ταύτην ἀπῆ-*

γεν ἄπροικον. διὸ καὶ Λύσανδρον ἐζημίωσαν, ὅτι καταλιπὼν τὴν προτέραν, ἑτέραν ἐβουλεύετο περικαλλεστέραν ἀγαγέσθαι

Pro ἐν τῷ περὶ νομοθ. Cod. B. ἐν τοῖς περὶ νομ. praebet. Illud locum significat, hoc libros; plures enim erant. Cf. Ions. De Scriptor. Hist. Ph. I. 2. 7. — Loco ἑτέραν Cod. A. C. ἑταίραν absurdo errore. Sed saepissime confundi αι et ε, vix est quod moneatur. Vid. Koen. ad Gregor. Corinth. p. 516. 380. sqq. Ἐβουλεύετο habet optimus Cod. A. et C., ἐβούλετο P. V. L., frequentissima horum verborum permutatione. — Narrat Plutarchus in Vita Lycurgi c. 15., virgines Spartae a sponsoribus raptas et a nympheutria capite tonsas, virilique pallio amictas fuisse, usque dum sponsor ex phiditiis redux, sponsae in lectum depositae zonam solvisset. Hunc virginum raptum, ut recte existimat Casaubonus, Hermippus intelligit, quanquam rem narrans paullo aliter. Vid. Heeren. De Font. Plut. p. 22. Cf. Plut. Lacon. Apophthegm. p. 224., Xenoph. Civit. I. 5., laudatos Odof. Muellero *Dor.* P. II. p. 282., qui Hermippi narrationem a pristina ac vera rei specie recedere dicit („romanhaft entstellt"), idemque valere in Agnonis Academici tradita apud Athen. XIII. 602. e.

Lycurgus.

Fragm. XV.

Plut. Lycurg. c. 5. Lycurgus de constituenda rei publicae forma Deum consulturus, Delphos profectus dicitur; inde reversus plures ad suum consilium consociasse:

Ὡς δ' ὁ καιρὸς ἧκε, τριάκοντα τοὺς πρώτους ἐκέλευσε μετὰ τῶν ὅπλων ἕωθεν εἰς ἀγορὰν προελθεῖν ἐκπλήξεως ἕνεκα καὶ φόβου πρὸς τοὺς ἀντιπράττοντας. ὧν εἴκοσι τοὺς ἐπιφανεστάτους Ἕρμιππος ἀνέγραψε.

Odofr. Mueller. *Dor.* P. I. p. 187. Hermippum insi-

mulat finxisse omnia, quae ex eo hic narrat Plutarchus; ficta fuisse nomina amicorum Lycurgi ad numerum viginti, qui eum in legibus ferendis adiuvarent. Quod quidem pace tanti viri utique denegare non dubito. Vix enim ullum scriptorem Alexandrinum ausum scimus ficta pro veris consulto venditare; imo anxie et curiose fontes circumspiciebant, ab iis non recessuri.' Cf. Niebuhrius ὁ πάνυ, iam supra laudatus, *Röm. Gesch.* I. p. 244. init. Sed facilius concedendum est, Hermippum aliorum commenta bona fide recepisse.

Fragm. XVI.

Plut. Lycurg. c. 23.: *Καίτοι φασί τινες, ὡς Ἕρμιππος μνημονεύει, τὸν Λυκοῦργον οὐ προσέχειν οὐδὲ κοινωνεῖν ἐν ἀρχῇ τοῖς περὶ τὸν Ἴφιτον, ἀλλὰ τυγχάνειν ἄλλως ἐπιδημοῦντα καὶ θεώμενον. ἀκοῦσαι δὲ φωνὴν, ὥσπερ ἀνθρώπου τινὸς ἐξόπισθεν ἐπιτιμῶντος αὐτῷ, καὶ θαυμάζοντος, ὅτι τοὺς πολίτας οὐ προτρέπεται κοινωνεῖν τῆς πανηγύρεως· ὡς δὲ, μεταστραφέντος, οὐδαμοῦ φανερὸς ὁ φθεγξάμενος ἦν, θεῖον ἡγησάμενον, οὕτω πρὸς τὸν Ἴφιτον τραπέσθαι, καὶ συνδιακοσμήσαντα τὴν ἑορτὴν ἐνδοξοτέραν καὶ βεβαιοτέραν καταστῆσαι.*

Plut. Lycurg. c. 1. init.: *Οἱ μὲν γὰρ Ἰφίτῳ συνακμάσαι καὶ συνδιαθεῖναι τὴν Ὀλυμπιακὴν ἐκεχειρίαν λέγουσιν αὐτόν.* Cf. Herod. I. 65. Strabo X. 482. d. XVI. 762. b. Valer. Maxim. I. c. 2. fin.

Solo.

Fragm. XVII.

Plut. Vit. Solon. c. 2.: *Ὁ δ᾽ οὖν Σόλων, τὴν οὐσίαν τοῦ πατρὸς ἐλαττώσαντος εἰς φιλανθρωπίας τινάς, ὥς φησιν Ἕρμιππος, καὶ χάριτας, οὐκ ἂν ἀπορήσας τῶν βουλομένων ἐπαρκεῖν, αἰδούμενος δὲ λαμβάνειν παρ᾽ ἑτέρων, ἐξ οἰκίας γεγονὼς εἰθισμένης ἑτέροις βοηθεῖν, ὥρμησε νέος ὢν ἔτι πρὸς ἐμπορίαν.*

Sunt, qui Solonem non mercaturam exercuisse, sed ut cognosceret hominum mores et instituta, peregre egisse dicant; uti statim addit Plutarchus: *καίτοι φασὶν ἔνιοι, πολυπειρίας ἕνεκα μᾶλλον καὶ ἱστορίας, ἢ χρηματισμοῦ, πλανηθῆναι τὸν Σόλωνα.* Coll. Tzetz. Chiliad. V. v. 359. Solonis patrem *Euphorionem* appellant alii (Plut. Solon. p. 78. E.); plurimi vero *Execestidem*, Diog. Laert. I. 45. Dicitur nimia et profusa liberalitate rem familiarem imminuisse, quamvis tenui esset fortuna (*ἀνδρὸς οὐσίᾳ μὲν, ὥς φασι, καὶ δυνάμει μέσου τῶν πολιτῶν* Plut. l. l.). Quodnam illud vero munificentiae fuerit genus, quod *εἰρωνικῶς* effert Hermippus, nescitur.

Fragm. XVIII.

Plut. Vit. Solon. c. 6.: *Πρὸς Θαλῆν δ' εἰς Μίλητον ἐλθόντα τὸν Σόλωνα, θαυμάζειν, ὅτι γάμου καὶ παιδοποιΐας τὸ παράπαν ἠμέληκε. καὶ τὸν Θαλῆν τότε μὲν σιωπῆσαι, διαλιπόντα δ' ὀλίγας ἡμέρας ἄνδρα παρασκευάσαι ξένον, ἀρτίως ἥκειν φάσκοντα δεκαταῖον ἐξ Ἀθηνῶν. πυθομένου δὲ τοῦ Σόλωνος, εἰ δή τι* (*ἴδῃ τι* Reisk.) *καινὸν ἐν ταῖς Ἀθήναις, δεδιδαγμένον, ἃ χρὴ λέγειν, τὸν ἄνθρωπον, „Οὐδὲν," εἰπεῖν, „ἕτερον, εἰ μὴ νὴ Δία νεανίσκου τινὸς ἦν ἐκφορά, καὶ προὔπεμπεν ἡ πόλις. ἦν γὰρ υἱὸς, ὡς ἔφασαν, ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ πρωτεύοντος ἀρετῇ τῶν πολιτῶν· οὐ παρῆν δὲ, ἀλλ' ἀποδημεῖν ἔφασαν αὐτὸν ἤδη πολὺν χρόνον." „Ὡς δυστυχὴς ἐκεῖνος," φάναι τὸν Σόλωνα· „τίνα δὲ ὠνόμαζον αὐτόν;" „Ἤκουσα," φάναι, „τοὔνομα τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' οὐ μνημονεύω· πλὴν ὅτι πολὺς λόγος ἦν αὐτοῦ σοφίας καὶ δικαιοσύνης." οὕτω δὴ καθ' ἑκάστην ἀπόκρισιν τῷ φόβῳ προσαγόμενον τὸν Σόλωνα, καὶ τέλος ἤδη συντεταραγμένον, αὐτὸν ὑποβαλεῖν τοὔνομα τῷ ξένῳ πυνθανόμενον· „Μὴ Σόλωνος ὁ τεθνηκὼς υἱὸς ὠνομάζετο;" φήσαντος δὲ τἀνθρώπου, τὸν μὲν ὁρμῆσαι παίειν τὴν κεφαλὴν καὶ τἄλλα ποιεῖν καὶ λέγειν, ἃ συμβαίνει τοῖς περιπαθοῦσι. τὸν δὲ Θαλῆν ἐπιλαβόμε-*

νον αὐτοῦ καὶ γελάσαντα, ,,Ταῦτά τοι,“ φάναι, ,,ὦ Σόλων, ἐμὲ γάμου καὶ παιδοποιΐας ἀφίστησιν, ἃ καὶ σὲ (male Reisk. *καί σε*) *κατερείπει τὸν ἐῤῥωμενέστατον. ἀλλὰ θάῤῥει τῶν λόγων ἕνεκα τούτων· οὐ γάρ εἰσιν ἀληθεῖς.“ ταῦτα μὲν οὖν* Ἕρμιππος *ἱστορεῖν φησι Πάταικον, ὃς ἔφασκε τὴν Αἰσώπου ψυχὴν ἔχειν.*

Proxime haec cum antecedenti fragmento cohaerent. — Ex hoc Plutarchi loco, uti videtur, suam contexuit narrationem Tzetzes Chiliad. V. v. 362. sqq. p. 170. Kiessl. — Fortasse huc pertinent, quae Dioscorides refert apud Diog. Laert. I. 63. De filio Solonis nihil se unquam accepisse, confitetur Diogen. l. l. Aliam Solonis responsionem in nuntium de filio defuncto ipsi allatum, vide apud Diog. Laert. II. 13. — Ad verba *οὐδὲν — ἕτερον, εἰ μὴ κ. τ. λ.* allegat Schaeferus similis structurae locum ex Xenoph. Cyrop. II. 2. 11.: *Τί δ' ἄλλο γε, ἔφη, εἰ μὴ γέλωτα ποιεῖν ἐθέλοντες;* — Verba *ὡς ἔφασκε — ἔχειν* significanter ironiceque addita sunt. ,,Quis enim dubitet, narrationem esse verissimam, cum Pataecus, qui Aesopus scilicet fuerit adeòque Solonem et Thaletem amicos et familiares habuerit, auctor rei citetur?“ Schaef. De Pataeco vid. Voss. De Histor. Gr. III. s. v. Cf. Plut. Solon. c. 10., ubi simili sarcasmo (ita Schaeferus) verba *καὶ μεῖζον ἔτι* ironice adduntur. Vid. Reisk. Plut. Oper. Vol. I. p. 323. et 822. Schaefer. Vol. IV. p. 313.

Fragm. XIX.

Plut. Vit. Solon. c. 11. Dicitur Solo maius nomen et clarius apud Graecos sibi paravisse, quum caussam defenderit templi Delphici, esse ei succurrendum, nec permittendum, ut Cirrhaei profanarent oraculum, sed Apollinis caussa esse Delphis subveniendum. Ab illo inductos ivisse ad arma Amphictyones:

Οὐ μέντοι στρατηγὸς ἐπὶ τοῦτον ἀπεδείχθη τὸν πόλεμον, ὡς λέγειν φησὶν Ἕρμιππος Εὐάνθη τὸν Σάμιον.

Ducem Alcmaeonem quidam electum affirmant apud Plut. l. l. Pausania vero teste X. 37. 6., Clisthenes, Sicyoniae tyrannus, dux hoc bello Graecorum copiis datus, eique Solon iunctus est, ut consilio eum adiuvaret: *πολεμεῖν οὖν πρὸς τοὺς Κιῤῥαίους ἔδοξεν Ἀμφικτύοσι, καὶ Κλεισθένην τε Σικυωνίων τυραννοῦντα προεστήσαντο ἡγεμόνα εἶναι, καὶ Σόλωνα ἐξ Ἀθηνῶν ἐπηγάγοντο συμβουλεύειν.* Suidas s. v. *Σόλων* Solonem a militibus electum fuisse tradit, ut bellum consiliis moderaretur. Cf. Polyaen. III. 5. — Euanthes Samius fortasse historicus, quem allegat Plut. H. N. VIII. 22. Fuit etiam Euanthes Milesius, Diog. Laertio I. 27. laudatus. Euanthis Epici hymnum in Glaucum commemorat Athen. VII. 296. c., *ἐν τοῖς μυθικοῖς* citatur a Schol. Apollon. Rhod. I. 1063. 1065.; cf. Voss. De Histor. Gr. lib. III. s. v.

---

§. 3.

VITAE PHILOSOPHORUM.

Alexinus.

Fragm. XX.

Diog. Laert. II. 109.: *Φησὶ δ' Ἕρμιππος περὶ αὐτοῦ, ὡς ἄρα ἀπελθὼν ἐκ τῆς Ἤλιδος εἰς Ὀλυμπίαν αὐτόθι φιλοσοφοίη. τῶν δὲ μαθητῶν αὐτοῦ πυνθανομένων, διὰ τί τῇδε κατοικεῖ, φάναι βούλεσθαι αἵρεσιν συστήσασθαι, ἣν Ὀλυμπιακὴν κληθήσεσθαι. τοὺς δὲ καὶ τοῖς ἐφοδίοις θλιβομένους καὶ τὸ χωρίον νοσερὸν καταγνόντας ἀπελθεῖν, καὶ τοῦ λοιποῦ διατρίβειν ἔρημον τὸν Ἀλεξῖνον σὺν οἰκέτῃ μόνῳ· ἔπειτα μέντοι νηχόμενον ἐν τῷ Ἀλφειῷ νυχθῆναι καλάμῳ καὶ οὕτω τελευτῆσαι.*

Fuit hic Alexinus Eliensis, Eubulidis discipulus, a contradicendi studio Elenxinus seu Eristicus appellatus, Zenoni Cittieo inprimis infestus; cf. fragm. 26.

Anaxagoras.

Fragm. XXI.

Diog. Laert. II. 13.: Ἕρμιππος δ' ἐν τοῖς Βίοις φησὶν, ὅτι καθείρχθη ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τεθνηξόμενος. Περικλῆς δὲ παρελθὼν εἶπεν, εἴ τι ἔχουσιν ἐγκαλεῖν αὐτῷ κατὰ τὸν βίον· οὐδὲν δὲ εἰπόντων, „Καὶ μὴν ἐγὼ," ἔφη, „τούτου μαθητής εἰμι· μὴ οὖν διαβολαῖς ἐπαρθέντες ἀποκτείνητε τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐμοὶ πεισθέντες ἄφετε."

Verba inde a Περικλῆς δὲ κ. τ. λ. ex Hermippo delibata sunt, etiamsi structura mutatur; quam variare, licet eiusdem auctoris afferat testimonia, omnino moris est Diogeni. — Defensum esse Anaxagoram a Pericle discipulo, etiam Sotion in Success. tradit (Diog. L. II. 12.), a Cleone impietatis accusatum. Diversa sunt aliorum scriptorum tradita de mortis philosophi caussa. Cf. Plut. V. Pericl. 169. d. Ioseph. c. Apion. l. II. p. 1079. Aliter Suidas s. v. Ἀναξαγ. Mortuus est Anaxagoras Lampsaci Ol. LXXXVIII. — Cf. Luzac. Lect. Att. II. 24. p. 230.

Antisthenes.

Fragm. XXII.

Diog. Laert. VI. 2.: Φησὶ δ' Ἕρμιππος, ὅτι προείλετο ἐν τῇ τῶν Ἰσθμίων πανηγύρει ψέξαι τε καὶ ἐπαινέσαι Ἀθηναίους, Θηβαίους, Λακεδαιμονίους· εἶτα μέντοι παραιτήσασθαι, ἰδόντα πλείστους ἐκ τῶν πόλεων ἀφιγμένους.

Arcesilas.

Fragm. XXIII.

Diog. Laert. IV. 44.: Ἐτελεύτησε δὲ, ὥς φησιν Ἕρμιπ-

πος, ἄκρατον ἐμφορηθεὶς πολὺν καὶ παρακόψας, ἤδη γεγονὼς ἔτος πέμπτον καὶ ἑβδομηκοστὸν, ἀποδεχθεὶς παρ' Ἀθηναίων ὡς οὐδείς.

Suidas ex Hermippo s. v. *Ἀρκεσ.*: *Ἐτελεύτησε δὲ ἄκρατον πολὺν ἐμφορηθεὶς καὶ παρακόψας*, i. e. *τὸν νοῦν παρατραπεὶς*, ut ipse explicat. — De mania vinosa cf. Henr. Thomée: Historia insanorum apud Graecos, p. 60. *Αἰσχρολογίας* argumentum in hac Hermippi narratione invenisse sibi visus est Luzac. Lect. Att. II. 19. p. 207., et ab Hermippo aeque profecta arbitratur, quae apud Laertium l. l. de luxuria Arcesilai, de eius consuetudine cum scortis Eliensibus reperiuntur, tum quod fuerit *φιλομειράκιός τις καὶ καταφερής*, ut eum ex Aristonis Chii schola Stoici dixerint *φθορέα τῶν νέων καὶ κιναιδολόγον*. — Incidit Arcesilai mors in Olymp. CXXXIV. 4.

Aristoteles.

LIB. I.

Fragm. XXIV.

Diog. Laert. V. 1.: *Ἀριστοτέλης Νικομάχου καὶ Φαιστιάδος, Σταγειρίτης. ὁ δὲ Νικόμαχος ἦν ἀπὸ Νικομάχου τοῦ Μαχάονος τοῦ Ἀσκληπιοῦ, καθά φησιν Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους.*

Haec ex libro primo depromta esse, rei ipsius ratio suadet. — *Φαιστιάδος* praebent editiones Frobenii, Stephani, Suidas et Anonymus Vit. Aristot. Dionysius vero Halicarn. in Epistola ad Ammaeum c. 5. et Ammonius Vita Aristotel. init. *Φαιστίδα*, quam scripturam etiam praetulit scriptor epigrammatis, quod legitur apud Ammonium l. l.:

Φαιστίδος ἦν μητρὸς καὶ Νικομάχου γενετῆρος,
Τῶν Ἀσκληπιαδῶν, δῖος Ἀριστοτέλης.

Vid. Buhlii notam ad h. l. (Oper. Aristot. I. p. 31.). Cf. Menag. ad h. l. et Stanl. Histor. Phil. Pars V. cap. 1. — *Στα-*

γειρίτης a Stagira urbe ita nominatus, in confinio Macedoniae et Thraciae sita; cf. Buhl. Aristotelis Vita per annos digesta p. 82. Brucker. Hist. Phil. Vol. I. p. 778. Stank l. l. — Parente genitus est Aristoteles Nicomacho, qui genus duxit a Nicomacho, Machaonis filio, Aesculapii nepote. Ita etiam Suidas s. v. *Νικόμαχος* et Ammonius. Fuit autem Nicomachus Amyntae, regis Macedoniae, medicus et familiaris. Tradit Tzetzes Chil. XII. 637., Asclepiadas dici medicos, ideoque etiam Aristotelem tropice Asclepiadem vocari, propterea quod ut pater et avus medicinam profiteretur. Quod mihi verisimillimum videtur. Falsum esse Tzetz., arbitratur Nunnesius ad Ammonii Vit. Aristotel. p. 24.; cf. Menag. ad hunc Laertii locum.

Fragm. XXV.

Athen. XIII. 589. c.: *Ἀριστοτέλης δ' ὁ Σταγειρίτης οὐκ ἐξ Ἑρπυλλίδος τῆς ἑταίρας ἐπαιδοποίησε Νικόμαχον καὶ συνῆν ταύτῃ μέχρι θανάτου, ὥς φησιν Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους πρώτῳ, ἐπιμελείας φάσκων τῆς δεούσης τετυχηκέναι ἐν ταῖς τοῦ φιλοσόφου διαθήκαις;*

Σταγειρίτης recte Codic. P. V. L. pro mendoso *Σατυρίστης*, quod praebent Codic. A. B. C. — *Ἑρπυλλίδος* per duplex λ scribendum; ex nostro loco correctus est Diogenes L. V. 1., ubi simplex λ scribebatur; itidem in Proculo ad Hesiod. *ἔργ.* II. 403. pro *Ἑρπυλίδῃ* *Ἑρπυλλίδι* restituendum. Vid. Menag. ad Diog. L l. l. Locus Proculi ita habet: *Μάτην οὖν λέγουσιν οἱ περὶ Τίμαιον, Ἡσιόδῳ τὸν Ἀριστοτέλην πειθόμενον μετὰ τὴν τῆς γυναικὸς τελευτὴν Ἑρπυλίδῃ συνεῖναι τῇ θεραπαίνῃ, ἐξ ἧς αὐτὸν σχεῖν υἱόν.* Diog. L. l. l.: *Ἔσχε δὲ υἱὸν Νικόμαχον ἐξ Ἑρπυλλίδος τῆς παλλακῆς, ὥς φησιν Τιμόθεος* (Vitarum scriptor). Coll. Scriptor Anonym. Vit. Arist. — Duplex matrimonium inisse Aristoteles dicitur, primum cum Pythiade, Hermiae sorore; cujus post mortem novo fere anno Herpyllidem, civem suam,

duxit uxorem; cf. Suidas s. v. Ἀριστοτ. — Testamenti tabulas vide apud Diog. L. V. 11. sqq.

Fragm. XXVI.

Athen. XV. 696. f.: *Παιὰν δ' ἐστὶ καὶ ὁ εἰς Κρατερὸν τὸν Μακεδόνα γραφεὶς, ὃν ἐτεκτήνατο Ἀλεξῖνος ὁ διαλεκτικὸς, ὥς φησιν Ἕρμιππος ὁ Καλλιμάχειος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἀριστοτέλους.*

Expendenti mihi, quid ansam dederit Hermippo hoc de Aristotele libro de paeanibus inque iis de Alexini in Craterum Macedonem disserere, in caussa fuisse videtur Aristotelis in Hermiam paean (sc. in virtutem, quo Aristoteles amici sui memoriam celebraturus, eius integritatem et hospitalitatem extollit), de quo eodem libro non dubito quin sermo fuerit. Mentionem ipsius facit Athenaeus XV. 696. b.: *Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ὑπὸ πολυμαθεστάτου γραφὲν Ἀριστοτέλους εἰς Ἑρμείαν τὸν Ἀταρνέα οὐ παιάν ἐστιν.* Servarunt hoc carmen praeter Athenaeum l. l. etiam Diog. Laert. V. 7. et Stobaeus in Florileg. p. 2. ed. Gesn. Negat Athenaeus, illum esse paeanem, quia paeanica acclamatione careat (vid. de hac Athen. XV. 701. c — f.), sed esse tantum ait *σκολιὸν μέλος*. Non differebant enim paeanes a scoliis, nisi acclamatione, quae paeanibus erat propria, tametsi hoc quoque postea desitum est. At in paeanibus plerisque nullam inveniri acclamationem, (tales enim in mortales condere non decebat,) asserit Iul. C. Scaliger De Poet. lib. I. c. 44. p. 119. ed. tert. — Perperam Alexinus noster a Maussaco in notis ad Harpocration. p. 228. Alexis Dialecticus scribitur. Fuit ille Eleus, Eubulidae in schola Euclidea Dialecticorum successor; cf. Reines. Var. Lect. lib. III. p. 372.

EX LIBRO INCERTO.

Fragm. XXVII.

Diog. Laert. V. 2.: *Φησὶ δ' Ἕρμιππος ἐν τοῖς*

Βίοις, ὅτι πρεσβεύοντος αὐτοῦ πρὸς Φίλιππον ὑπὲρ Ἀθηναίων, σχολάρχης ἐγένετο τῆς ἐν Ἀκαδημίᾳ σχολῆς Ξενοκράτης· ἐλθόντα δὴ αὐτὸν καὶ θεασάμενον ὑπ' ἄλλῳ τὴν σχολὴν, ἑλέσθαι περίπατον τὸν ἐν Λυκείῳ. καὶ μέχρι μὲν ἀλείμματος ἀνακάμπτοντα τοῖς μαθηταῖς συμφιλοσοφεῖν· ὅθεν Περιπατητικὸν προσαγορευθῆναι.

Mortuo Speusippo, Platonis in Academia successore, Ol. CX. 2. (Laert. IV. 44.), Xenocrates in Academia docebat, quo tempore Aristoteles post mortem Philippi regis, Callisthene apud Alexandrum relicto, Athenas reversus est. Falsum esse Hermippum in eo, quod Aristotelem Lyceum aperuisse tradat, quum a legatione ad Philippum redux Xenocratem docentem vidisset, bene observarunt Buhl. Aristotelis Vita per annos digesta p. 95. et Brucker. Hist. Ph. Vol. I. p. 787. Nam Xenocrates quatuor iam annos docuerat, antequam Aristoteles Athenas reversus est. In simili errore versatur Ammonius. Vid. Brucker. l. l. Aristoteles Lyceo praefuit ab Ol. CXI. 2. ad Ol. CXIV. 3. Inde Aristotelicis nomen venit *Περιπατητικοὶ ἐκ Λυκείου*, Xenocraticis *Περιπατητικοὶ ἐξ Ἀκαδημίας*, teste Diog. L. V. 5., coll. Plut. V. Alex. M. p. 696. d. Chr. Genselii disputationem de Peripateticorum nomine adire non licuit. — De Aristotelis discipulis multum nos edocerent Nicandri Alexandrini, si exstarent, scripta; cf. Suidas s. v. *Αἰσχρίων*. Ions. De Scriptor. H. Ph. III. 26. 1. — *περίπατον τὸν ἐν Λυκ. κ. τ. λ.* Plerique hoc Hermippi testimonium sequuntur, quanquam iam ante Aristotelem Plato illam deambulationem instituerat. Aelian. Var. Hist. I. 19. Diog. Laert. III. 11. Aliter iudicat Cicero de Orat. III. 35. Quaest. Acad. I. 4. Quintil. Inst. Orat. III. 1. — Haud dubie nomen sectae a loco adhaesit, ubi Aristoteles docebat, a *περιπάτῳ*, quod erat ambulacrum in Lyceo. Vide virorum doctorum sententias apud Brucker. l. l. et Menag. ad h. l. Hic vellem ad manus mihi esset Ionsii Dissertatio de Historia Peripatetica, qui hunc locum accurate tractasse per-

libetur. — μέχρι ἀλείμματος. Deambulabat usque ad eam horam, qua Graeci inungi solebant, i. e. ante coenam.

Callisthenes.
Fragm. XXVIII.

Plut. V. Alex. M. cap. 53.: *Λέγεται δέ ποτε πολλῶν παρακεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον, ἐπαινέσαι κελευσθεὶς ἐπὶ τοῦ ποτηρίου Μακεδόνας ὁ Καλλισθένης, οὕτως εὐροῆσαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν, ὥστ' ἀνισταμένους κροτεῖν καὶ βάλλειν τοὺς στεφάνους ἐπ' αὐτόν. εἰπεῖν οὖν τὸν Ἀλέξανδρον, ὅτι κατ' Εὐριπίδην τὸν λαβόντα τῶν λόγων*

Καλὰς ἀφορμὰς οὐ μέγ' ἔργον εὖ λέγειν.

„Ἀλλ' ἔνδειξαι," φάναι, „τὴν σαυτοῦ δύναμιν ἡμῖν κατηγορήσας Μακεδόνων, ἵνα καὶ βελτίους γένωνται μαθόντες ἃ πλημμελοῦσιν." οὕτω δὴ τὸν ἄνδρα πρὸς τὴν παλινῳδίαν τραπόμενον πολλὰ παῤῥησιάσασθαι κατὰ τῶν Μακεδόνων, καὶ τὴν Ἑλληνικὴν στάσιν αἰτίαν ἀποφήναντα τῆς γενομένης περὶ Φίλιππον αὐξήσεως καὶ δυνάμεως εἰπεῖν·

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔλλαχε τιμῆς.

ἐφ᾽ ᾧ πικρὸν καὶ βαρὺ ἐγγενέσθαι μῖσος τοῖς Μακεδόσι, καὶ τὸν Ἀλέξανδρον εἰπεῖν, ὡς οὐ τῆς δεινότητος ὁ Καλλισθένης, ἀλλὰ τῆς δυσμενείας Μακεδόσιν ἀπόδειξιν δέδωκε. — ταῦτα μὲν οὖν ὁ Ἕρμιππός φησι τὸν ἀναγνώστην τοῦ Καλλισθένους Στροῖβον Ἀριστοτέλει διηγεῖσθαι, τὸν δὲ Καλλισθένην συνέντα τὴν ἀλλοτριότητα τοῦ βασιλέως δὶς ἢ τρὶς ἀπιόντα πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν·

Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.

Uti ex Luzacii disputatione colligere licet (Lect. Att. II. 14. p. 188. sq.), hoc ex Callisthenis Vita fragmentum iam inde a cap. 52. initium capit, siquidem verba: *ἰδίαν τινὰ πορευόμενον ἐξ ἀρχῆς ὁδὸν ἐν φιλοσοφίᾳ, καὶ δόξαν εἰληφότα ὑπεροψίας καὶ ὀλιγωρίας τῶν συνήθων*, quae sunt in init. capitis, allegata, ut livorem Callisthenis in Anaxarchum deno-

tarent, ex Hermippi mente emanasse Luzacio videntur. Non nego, sed orationis habitu eos mihi tantum fines descriptos existimavi, quos secutus sum in delibandis ex Plutarcho verbis. — Cognoscitur hoc fragmento, quam parum obsecutus sit Callisthenes Aristotelis consiliis et hortaminibus. Cic. Tuscul. Disputat. III. 10. Frustra eum ad Alexandrum dimittens monuit, uti narrat Valer. Max. VII. 2. 11. Extern., „ut cum eo aut rarissime aut quam iucundissime loqueretur: quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior vel sermone esset acceptior." Cf. Curt. de reb. gest. Alex. M. VIII. 5. Iustin. XII. 7. XV. 3. Sua sibi παῤῥησίᾳ non invidos solum Macedones et Alexandrum regem effecit, sed crudele etiam supplicium sibi contraxit, quod de eo postmodo sumtum est. — De Callisthene cf. praeter Meurs. ad Chalcid. p. 34. et Buhlium loco supra laudato Sancrucium *Examen Critique des Historiens d' Alexandre* p. 354. sqq. — καλὰς ἀφορμὰς κ. τ. λ. Est versus ex Eurip. Bacch. 267. Dind. „*Alexandre ne récita que ce dernier vers, et changea seulement εὖ λέγειν en εὐλογεῖν, à cause de l' éloge que Callisthène venoit d' improviser.*" Sancrucius l. l. p. 356. — τὴν σαυτοῦ δύναμιν. Mox δεινότητος. Pro σαυτοῦ Cod. Paris. αὑτοῦ, uti cap. 39. med. ἑαυτοῦ, ubi Schaefer. σεαυτ. Cap. eodem paullo inferius ἑαυτὸν, ubi Schaef. σεαυτόν. Cf. Porson. ad Eurip. Orest. 626. De illo pronominis usu ita Bekkerus apud Schaefer. ad h. l.: „Eine Verwechslung, die bei Plutarch gar wohl zu ertragen ist, wiewohl sie aus den Schriftstellern der bessern Zeit hoffentlich ganz verschwindet, wann erst einmal die erforderliche Zahl von Handschriften verglichen sein wird." — ἐν δὲ διχοστασίῃ κ. τ. λ. Vers. Il. O. 189. — Στροῖβον. Secutus sum Schaeferi auctoritatem, qui ad Gregor. Corinth. p. 420. ita scribendum esse docuit pro vulg. Στρόϊβον. Ita Βοῖον et Βόϊον oppidum apud Strabon. X. 427. b. — Καλλισθένην. Vulg. Καλλισθένη, solemni varietate, de qua vid. Ast. ad Platon. Sympos. p. 205. Baehr.

ad Plut. Alcibiad. p. 72. et 160. — Κάτθανε — αμείνων. Homeri vers. Il. Φ. 107. Eundem versum Callianax quoque, medicus Hierophileus, aegro, qui mori metuebat, occinit. Refert id Galen. ad Hippocr. Epidem. libr. Comment. 4.: Νοσοῦντος γάρ τινος, εἶτ' εἰπόντος τῷ Καλλιάνακτι, „Τεθνήξομαι;" φασὶν αὐτὸν ἐπιφωνῆσαι τόδε τὸ ἔπος·

Εἰ μή σε Λητὼ καλλίπαις γενήσατο.

ἑτέρῳ δὲ ταὐτὸ τοῦτ' εἰπόντι φάναι·

Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.

Chrysippus.

Fragm. XXIX.

Diog. Laert. VII. 184.: *Τοῦτον ἐν τῷ Ὠιδείῳ σχολάζοντά φησιν Ἕρμιππος ἐπὶ θυσίαν ὑπὸ τῶν μαθητῶν κληθῆναι· ἔνθα προσενεγκάμενον γλυκὺν ἄκρατον καὶ ἰλιγγιάσαντα, πεμπταῖον ἀπελθεῖν ἐξ ἀνθρώπων.*

Pro Ὠιδείῳ legitur etiam *οἰκιδίῳ*. — De Odeo cf. Suidas s. v. et Klausen. in Ersch. et Gruber. Encyclop. — Memoratu dignum hocce mortis genus alii aliter referunt. Sunt enim, qui Chrysippum risu effusum, dum ficus edere videret asinum, eique merum superbibendum dari iussisset, exspirasse dicant. — Vinum dulce nullam efficere crapulam, testatur Aristot. Meteor. IV. 9., laudatus Menagio ad h. l. — ἀπελθεῖν, i. e. *mori*, saepius hac significatione apud Laert.; cf. Menag. ad l. III. 6. — Idem, quod Hermippus, etiam Suidas et Eudocia Violar. p. 437. Villois. testantur, sed omittunt vocem *γλυκύν*. Ἰλιγγιάω et *εἰλιγγιάω* i. q. *σκοτοῦμαι*, *σκοτοδινιῶμαι*. Hesych. — Mortuus est Chrysippus secundum Apollodorum Ol. CXLIII.; cf. Clinton. Fasti Hellen. s. h. Olymp.

Demetrius Phalereus.

Fragm. XXX.

Diog. Laert. V. 78.: *Φησὶ δ' αὐτὸν Ἕρμιππος μετὰ τὸν Κασάνδρου θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον, παρὰ Πτολεμαῖον*

ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα· κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐρυδίκης περιθεῖναι παισί. τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος τὸ διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι ἐν τῇ χώρᾳ, μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ. ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε. καί πως ὑπνώττων ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετέθηκε.

Hocce Hermippi testimonium iam a tot viris doctis tractatum atque cum aliis aliorum scriptorum testimoniis collatum est, ut nova recoctione retractationeque prorsus supersedere posse mihi videar. Examinarunt illud Iul. Caes. Scaliger ad Chron. Euseb. A. MDCCIX., Henr. Dodwell. Dissert. de Dicaearcho p. 51. sqq., Voss. De Histor. Gr. I. 12. (qui Hermippum Berytium hanc Demetrii scripsisse Vitam perversissime statuit); Humphredus Hodius Dissert. de LXX. Interpret. c. hist. Aristeae, cap. 3. p. 46. sqq., Serarii, Gretseri, Usserii aliorumque sententias simul castigans; Wesseling. ad Diodor. Sicul. XX. 45. Vol. II. p. 439. not. 96.; Interpretes Diogenis Laertii; et denique Ludov. Casp. Valckenar. in Diatribe de Aristobulo Iudaeo §. XVIII. p. 52. sqq. ed. Luzac. — Plerique huic Hermippi narrationi errorem subesse arbitrati sunt. Scaliger plures adeo errores invenisse sibi visus est, quam quos in Hermippi verbis conspici liceat. Verum testem esse Hermippum integrum, utpote Demetrii Phalerei temporibus proximum, recte observavit Valcken. l. l. Quae enim de morte Demetrii deque mortis caussa et tempore tradidit, omnibus eius temporis Alexandrinis nota fuisse suspicari licet; eadem autem, quae sine dubio vera sunt, Hermippus tradidit. Sed falsus esse facile potuit in caussa aperiunda, propter quam Demetrius a regia remotus fuerit. Quia enim hac de re, aulicis tantum nota, nonnisi incerti rumores ferebantur, facile in errorem abduci potuit. Sed vide ipsum Valckenarium l. l., qui Scaligerum doctissime refutat.

Democritus.

Fragm. XXXI.

Diog. Laert. IX. 43.: *Τελευτῆσαι δὲ τὸν Δημόκριτόν φησιν Ἕρμιππος τοῦτον τὸν τρόπον. ἤδη ὑπέργηρων ὄντα, πρὸς τῷ καταστρέφειν εἶναι· τὴν οὖν ἀδελφὴν λυπεῖσθαι, ὅτι ἐν τῇ τῶν Θεσμοφορίων ἑορτῇ μέλλοι τεθνήξεσθαι, καὶ τῇ θεῷ τὸ καθῆκον αὐτὴν οὐ ποιήσειν· τὸν δὲ θαῤῥεῖν εἰπεῖν, καὶ κελεῦσαι αὐτῷ προσφέρειν ἄρτους θερμοὺς ὁσημέραι· τούτους δὴ ταῖς ῥισὶ προσφέρων διεκράτησεν αὐτὸν τὴν ἑορτήν.*

Suidas s. v. *Δημόκριτος* ex Diogene sua derivavit, quae propemodum idem sonant. Suidam compilavit Eudocia Violar. p. 135. Villois. Mortis genus paullo aliter narrat Athenaeus II. 46. f., scilicet Democritum vitam sustentasse solo mellis odore: *Δημόκριτον δὲ τὸν Ἀβδηρίτην λόγος ἔχει διὰ γῆρας ἐξάξαι αὐτὸν διεγνωκότα τοῦ ζῆν, καὶ ὑφαιροῦντα τῆς τροφῆς καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἐπεὶ αἱ τῶν Θεσμοφορίων ἡμέραι ἐνέστησαν, δεηθεισῶν τῶν οἰκείων γυναικῶν μὴ ἀποθανεῖν κατὰ τὴν πανήγυριν, ὅπως ἑορτάσωσι, πεισθῆναι κελεύσαντα μέλιτος ἀγγεῖον αὐτῷ πλησίον παρατεθῆναι· καὶ διαζῆσαι ἡμέρας ἱκανὰς τὸν ἄνδρα τῇ ἀπὸ τοῦ μέλιτος ἀναφορᾷ μόνῃ χρώμενον, καὶ μετὰ τὰς ἡμέρας, βασταχθέντος τοῦ μέλιτος, ἀποθανεῖν.* Cf. Tzetz. Chiliad. III. 61. De Thesmophor. vid. interpret. Diog. Laert.

Diodorus Aspendius.

Fragm. XXXII.

Athen. IV. 163. e.: *Ἦν δ' ὁ Διόδωρος οὗτος τὸ μὲν γένος Ἀσπένδιος, Πυθαγορικὸς δὲ δόξας εἶναι, ὑμῶν τῶν Κυνικῶν τρόπον ἔζη, κομῶν καὶ ῥυπῶν καὶ ἀνυποδητῶν. ὅθεν καὶ πυθαγορικὸν τὸ τῆς κόμης ἔδοξαν εἶναί τινες, ἀπὸ τοῦ Διοδώρου προαχθὲν, ὥς φησιν Ἕρμιππος.*

Singularisne fuerit Diodori Vita, ambigo. Aeque enim

quae hic ex Athenaeo comperimus, in Pythagorae Vita locum habere potuerunt. Ionsius l. l. I. 14. 5., fortasse hoc Athenaei loco inductus, inter Pythagoreos Diodorum retulit, quod iustene factum sit, persuasum haberemus, si exstaret Aristoxeni opus *Περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ* (Diog. L. I. 118.). Successit Diodorus Aspendius in systemate seu collegio (vid. Menag. ad Diog. L. VIII. 45.) Pythagoreorum Tydae seu Gortydae. Quem Diodorum eundem esse ac nostrum, temporum ratione ita permittente, evicit Bentleius Diss. de aetat. Phalarid. p. 200. ed. Lips. Adeatur praeterea Bruckerus Hist. Phil. Vol. I. p. 1101. sqq. Huius Diodori mentionem quoque fecit Iamblichus Vit. Pythag. sect. 266.; cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 486. Harl. — *προαχθὲν*, i. e. *derivatum, propagatum*. Vid. Schweigh. ad h. l. — Sosicrates in lib. III. Success. (Diog. L. VI. 13.) *Διόδωρον τὸν Ἀσπένδιον*, ait, *καὶ πώγωνα καθεῖναι, καὶ βάκτρῳ καὶ πήρᾳ χρῆσθαι*. — Nominatur Hermogenes *τὸ γένος Ἀσπένδιος* apud Photium in Memnonis historicis I. p. 225. 7. ed. Bekker.

Empedocles.

Fragm. XXXIII.

Diog. Laert. VIII. 51.: *Ἐμπεδοκλῆς, ὥς φησιν Ἱππόβοτος, Μέτωνος ἦν υἱὸς τοῦ Ἐμπεδοκλέους, Ἀκραγαντῖνος· τὸ δ' αὐτὸ καὶ Τίμαιος ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν, ἐπίσημον ἄνδρα γεγονέναι τὸν Ἐμπεδοκλέα, τὸν πάππον τοῦ ποιητοῦ. ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος τὰ αὐτὰ τούτῳ φησίν.*

Similiter Eudocia in Violar. p. 169. Villois.: *Ὁμοίως δὲ Ἡρακλείδης καὶ Ἕρμιππος τὰ αὐτὰ τούτοις φασί.* Cf. Suidas s. v. *Ἐμπεδοκλ.* et Hesych. — Hippobotus et Timaeus Tauromenites in iis sunt duobus et viginti viris, ex quorum testimoniis Laertius Empedoclis Vitam consarcinavit. De eorum scriptis et auctoritate cons. Sturzius De Empedocle Agrigent. Tom. I. p. XXIII. et XXVII. — *Μέτωνος υἱός*. Meto

a plerisque dicitur pater Empedoclis. Satyrus apud Diog. L. VIII. 53. Exaenetum vocat. Vid. Menag. ad h. l. Corsini Fasti Att. Tom. III. p. 137. Sturz. l. l. p. 3.

Fragm. XXXIV.

Diog. L. VIII. 56.: Ὁ δὲ Θεόφραστος Παρμενίδου φησὶ ζηλωτὴν αὐτὸν (Empedoclem) γενέσθαι καὶ μιμητὴν ἐν τοῖς ποιήμασι· καὶ γὰρ ἐκεῖνον ἐν ἔπεσι τὸν περὶ φύσεως λόγον ἐξενεγκεῖν. Ἕρμιππος δὲ οὐ Παρμενίδου, Ξενοφάνους δὲ γεγονέναι ζηλωτήν· ᾧ καὶ συνδιατρίψαι, καὶ μιμήσασθαι τὴν ἐποποιΐαν· ὕστερον δὲ τοῖς Πυθαγορικοῖς ἐντυχεῖν.

Audivit Empedocles plures philosophos, in his Xenophanem, et Parmenidis exemplo (Diog. L. IX. 21.) sectator fuit Pythagoreorum. — De Empedoclis magistris vid. Sturz. l. l. Tom. I. p. 12. sqq.

Fragm. XXXV.

Diog. Laert. VIII. 69.: Ἕρμιππος δέ φησι Πάνθειάν τινα Ἀκραγαντίνην ἀπηλπισμένην ὑπὸ τῶν ἰατρῶν θεραπεῦσαι αὐτὸν, καὶ διὰ τοῦτο τὴν θυσίαν ἐπιτελεῖν· τοὺς δὲ κληθέντας εἶναι πρὸς τοὺς ὀγδοήκοντα.

Artis medicae peritia Empedocles perclarus fuit. Satyr. apud Diog. L. VIII. 58. Heraclides ibid. segm. 61.; cf. Sturz. l. l. p. 56. sqq. Femina illa ab aliis medicis iam pro exanimi habita fuisse videtur. Hanc rem Heraclides apud Diog. VIII. 67. accuratius narrat. Sturz. p. 58. sqq.

Epicurus.

Fragm. XXXVI.

Diog. Laert. X. 2.: Φησὶ δὲ Ἕρμιππος γραμματοδιδάσκαλον αὐτὸν γεγενῆσθαι· ἔπειτα μέντοι περιτυχόντα τοῖς Δημοκρίτου βιβλίοις, ἐπὶ φιλοσοφίαν ἆΐξαι· διὸ καὶ τὸν Τίμωνα φάσκειν περὶ αὐτοῦ·

Ὕστατος αὖ φυσικῶν καὶ κύντατος ἐκ Σάμου ἐλθὼν,
Γραμμαδιδασκαλίδης, ἀναγωγότατος ζωόντων.

Cicero, quem ex Peripateticorum scriptis multum profecisse iure existimaveris, de Nat. Deor. I. 43.: „Democriti, viri magni, fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit." Cf. Ions. De Scriptor. H.Ph.II. 5. 12. — Cic. ibid. I. 26.: „Epicurus in Physicis omnia a Democrito habet." Coll. I. 24. — Timonis Sillographi epigramma est apud Brunck. Anthol. Gr. XXX. Vol. II. p. 74.

Heraclides Ponticus.

Fragm. XXXVII.

Diog. L. V. 91.: Ἕρμιππός δὲ, λιμοῦ κατασχόντος τὴν χώραν, φησὶν αἰτεῖν τοὺς Ἡρακλεώτας τὴν Πυθίαν λύσιν· τὸν δὲ Ἡρακλείδην διαφθεῖραι χρήμασι τούς τε θεωροὺς καὶ τὴν προειρημένην, ὥστ' ἀνειπεῖν ἀπαλλαγήσεσθαι τῶν κακῶν, εἰ ζῶν μὲν Ἡρακλείδης ὁ Εὐθύφρονος χρυσῷ στεφάνῳ στεφανωθείη πρὸς αὐτῶν, ἀποθανὼν δὲ ὡς ἥρως τιμῷτο.

Aliae aliorum narratiunculae de Heraclidae mortis genere eiusque studio divinam commerendi gloriam, ut Demetrii Magnetis apud Diog. L. V. 89., Hippoboti V. 90. fin., coll. Suida, fabellarum speciem referunt. Non autem pro invidiae obtrectatorum exemplis habendae sunt, quibus scriptores illi Heraclidae famam arrodere cupierint, uti vult Deswertius Diatribe de Heraclid. Pont. p. 26. Cf. Meiners, *Gesch. des Urspr. der Wissenschaften* cet. I. p. 208. sq.

Heraclitus.

Fragm. XXXVIII.

Diog. L. IX. 4.: Ἕρμιππος δέ φησι λέγειν αὐτὸν τοῖς ἰατροῖς, εἴ τις δύναται ἔντερα ταπεινώσας ὑγρὸν ἐξεράσαι. ἀπειπόντων δὲ, θεῖναι αὐτὸν εἰς τὸν ἥλιον, καὶ κελεύειν τοὺς

παῖδας βολβίτοις κατἀπλάττειν· οὕτω δὴ κατάτεινόμενον, δευτεραῖον τελευτῆσαι, καὶ ταφῆναι ἐν τῇ ἀγορᾷ.

Ταπεινώσας, i. e. *an quis posset viscera tumida deprimendo exhaurire humidum.* Laborabat enim Heraclitus ascite, i. e. aquae intercutis morbo. Dioscorid. lib. II. c. 185. Reines. Var. Lect. Lib. II. p. 304. et 210. — *ἐξερᾶσαι* recte scribitur. Edit Steph. *ἐξᾶραι.* Schol. Arist. Vesp. 993.: *Ἐξεράσατε τοὺς λίθους, ἐκκενώσατε, ἐκβάλλετε, ἀποῤῥίψατε.* — *βολβίτοις καταπλάττειν.* M. Antonin. lib. III. *τῶν εἰς ἑαυτὸν* sect. 3.: *Ἡράκλειτος περὶ τῆς τοῦ κόσμου ἐκπυρώσεως τοσαῦτα φυσιολογήσας, ὕδατος τὰ ἐντὸς πληρωθεὶς, βολβίτῳ κατακεχρισμένος ἀπέθανεν.* — *κατατεινόμενον*, i. e. *distentum* seu *distractum corpore, postquam se soli obiecerat ac pueris mandaverat, ut se boum stercore oblinerent.* Probe autem inservit illustrandis Hermippi verbis locus ex Tatiani Oratione ad Graecos p. 245. ed. Paris. anni 1742.: *Βολβίτοις περιπλάσας ἑαυτὸν, τῆς κόπρου κρατυνθείσης, συνολκάς τε τοῦ παντὸς ἀπεργασάμενος σώματος, σπασθεὶς ἐτελεύτησε.* Cf. Ignatii Rossii Commentat. Laertian. Rom. 1788. p. 172.

Lycon.

Fragm. XXXIX.

Diog. L. V. 67.: *Ἦν δὲ καὶ καθαρώτατος τὴν στολὴν, ὡς ἀνυπερβλήτῳ χρῆσθαι μαλακότητι ἱματίων, καθάπερ φησὶν Ἕρμιππος.*

Lyconem Peripateticum, Stratonis Lampsaceni successorem, Lyceo praefuisse ingenti cum fastu et luxuria, testis est quoque Antigonus Carystius apud Athen. XII. p. 547. d., coll. XII. 547. a. 548. b., et Cic. Tusc. Disput. III. 32. de Fin. V. 5. De *στολῇ*, de veste virili usurpatâ, vid. Menag. ad h. l. — Plures Lycones a Peripatetico distinguendos recenset Diog. Laert. VIII. 69.

Menedemus.

Fragm. XL.

Diog. L. II. 142. Dicitur Menedemus Antigono, discipulo suo, civitatem prodidisse ideoque suspectum habitum, insimulante Aristodemo, clam exisse atque Oropi moratum esse in Amphiarai delubro:

Ἔνθα χρυσῶν ποτηρίων ἀπολομένων, καθά φησιν Ἕρμιππος, δόγματι κοινῷ τῶν Βοιωτῶν ἐκελεύσθη μετελθεῖν. ἐντεῦθεν ἀθυμήσας, λαθραίως παρεισδὺς εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰς θυγατέρας παραλαβὼν, πρὸς Ἀντίγονον ἐλθὼν ἀθυμίᾳ τὸν βίον κατέστρεψε.

Menedemus, Phaedonis discipulus, Eliacam scholam quia in patriam Eretriam transtulit, Eretriacus dictus, tanta usus est apud cives existimatione, ut ei summa rei publicae crederetur. Ipse Antigonus, Macedoniae rex, adeo eius fuit studiosus, ut sese eius discipulum profiteretur. Quod ei tantam civium invidiam movit, ut in suspicionem prodendae Antigono rei publicae veniret. Calumniante igitur inprimis Aristodemo, Oropum se clam contulit.

Huc pertinent ab Hermippo relata, quibus omnino contraria narrat Heraclides Lembus apud Diog. Laert. II. 143. De Oropo, Boeotiae urbe, cf. Steph. Byzant. s. v., Strabo IX. 403. b. Amphiarai templum duodecim stadia ab urbe distabat; Pausan. II. 23. 2., Strabo l. l. Scripserunt de Menedemo etiam Antigonus Carystius (Ionsius II. 4. p. 130.) et Sphaerus (Ions. l. l. p. 143.).

Pherecydes.

Fragm. XLI.

Diog. Laert I. 117.: *Φησὶ δ' Ἕρμιππος, πολέμου ἐφεστῶτος Ἐφεσίοις καὶ Μάγνησι, βουλόμενον τοὺς Ἐφεσίους νικῆσαι, πυθέσθαι τινὸς παριόντος, πόθεν εἴη· τοῦ δ' εἰπόντος, „Ἐξ Ἐφέσου," „Ἕλκυσόν με τοίνυν," ἔφη, „τῶν σκελῶν

καὶ θὲς εἰς τὴν Μαγνήτων χώραν, καὶ ἀπάγγειλόν σου τοῖς πολίταις μετὰ τὸ νικῆσαι αὐτόθι με θάψαι."

Pherecydis mortis genus varie tradunt. Plutarch. Vit. Pelopid. p. 289. a. famam dicit latam fuisse, Pherecydem a Lacedaemoniis interfectum in rei publicae salutem, eiusque cutem, oraculo quodam suadente, diligenter a regibus ibi fuisse custoditam: *Φερεκύδην τὸν σοφὸν ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἀναιρεθέντα καὶ τὴν δορὰν αὐτοῦ κατά τι λόγιον ὑπὸ τῶν βασιλέων φρουρουμένην.* — Alii Pherecydem Delphos venisse ibique sese de monte Coryceo praecipitem dedisse (Diog. Laert. I. 118.), longe vero plurimi phthiriasi, miserrimo morbo, toto corpore a pediculis exeso, perisse narrant. Cf. Sturz. Pherecydis fragm. §. 5. p. 15. sqq.

Philolaus.

Fragm. XLII.

Diog. Laert. VIII. 85.: *Γέγραφε δὲ βιβλίον ἕν, ὅ φησιν Ἕρμιππος λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων, Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον παραγενόμενον εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον ὠνήσασθαι παρὰ τῶν συγγενῶν τοῦ Φιλολάου, ἀργυρίου Ἀλεξανδρηνῶν μνῶν μ᾽· καὶ ἐντεῦθεν μεταγεγραφέναι τὸν Τίμαιον.*

Aug. Boeckh. in doctissima disputatione de Philolao Berol. 1819. etiam de nostro loco tam luculenter egit, ut vix supersit quidquam, quod suppleri queat. — Scriptorum, qui illa de Philolai libris tradiderunt, antiquissimus est Hermippus, quem, uti monet Boeckhius, secutus est Satyrus. Hermippum vero sua ab Alexandrino quodam scriptore derivasse, eo fit verisimile, quod minae Alexandrinae commemorantur, quae quidem Platonis tempore in Graecia nondum innotuerant. (De minis Alexandrin. vid. Boeckh. *Staatshaushalt. der Athener* Vol. I. p. 19.) Unum tantum librum a Philolao litteris esse consignatum, etiam Tzetz. Chil. X. 797. testatur, Satyrus vero tres ap. Diog. Laert. III. 19. VIII. 15. Non autem ab ipso

Philolao eius libros Plato sibi comparare potuit, cui ex Pythagoreorum instituto eos publici iuris facere non licuit; neque iam Platone in Siciliam primum discedente (Ol. 97. 4.) in vivis erat Philolaus. Veri igitur est simile Hermippi testimonium, a Philolai consanguineis eos esse venditos. Cf. Tzetz. Chil. X. 797. sqq. XI. 42. Idem Tzetzes non quadraginta, sed centum minas emtionis pretium affert, X. 893. XI. 4. Vide praeter Boeckh. l. l. etiam Diogenis interpretes; Brucker. Hist. Ph. Vol. I. p. 640. Ritter. *Gesch. der Pythag. Phil.* p. 71. Hanc Hermippi de Platone narrationem malevolentiae nota a Luzacio esse signatam, supra vidimus; qui Platonis famae a Peripateticis ubique arrosae exemplum illud quoque statuit, simile nostri, quod apud Diog. L. III. 37. Aristoxenus universos fere Platonis libros ex Protagorae Antilogicis esse desumtos tradit, Platonemque Democriti libros comburere voluisse (D. L. IX. 40.); cf. Luzac. II. 26. p. 241. — Uti Plato Philolai libros emisse dicitur, ita etiam Aristotelem Speusippi scripta tribus talentis Atticis sibi comparasse, narrat Phavorinus ap. Diog. L. IV. 5., Gell. Noct. Att. III. 17.; scilicet ut abolitis germanis Platonicae philosophiae monumentis ipsius philosophia caput extolleret. Brucker. Hist. Phil. Vol. I. p. 730. — Caeterum haec ex Hermippo tradita fortassis ex Platonis Vita petita sunt a Diogene.

Plato.

Fragm. XLIII.

Diog. L. III. 2.: *Τελευτᾷ δ', ὥς φησιν Ἕρμιππος, ἐν γάμοις δειπνῶν, τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, βιοὺς ἔτος ἓν πρὸς τοῖς ὀγδοήκοντα.*

Senio solo confectum obisse, narrat Seneca Ep. 58.; scribentem, Cicero de Senect. V., quem sequitur Heinr. Ritter. *Gesch. der Philos.* P. II. p. 159. Sunt, qui eum morbo pediculari, eodem quo Pherecydes, mortuum dicant. Diog. L. III. 40. Cf. Brucker. Hist. Crit. Phil. Vol. I. p. 653. Stanleius

Hist. Ph. P. IV. cap. XII. Ex Senecae supra laudati verbis „natali suo decessit, annum unum et octogesimum implevit sine ulla deductione," suspicatur Clinton. in Fast. Hellen. anno 347., Hermippi verba aut corrupta aut male reddita esse a Diogene pro ἐν γενεθλίοις δειπνῶν. Sed nihil potest decerni. — Simile fertur Theophrasti fatum; quum enim in nuptiis discipulorum cuiusdam quandam sibi indulgeret otii veniam, ea mortis ipsius fuit occasio. Suid. s. v. Θεόφρ. — Mortem oppetiit Plato Theophilo archonte, uti refert Apollodorus in Chronicis (ap. Diog. L. V. 9.), cum Hermippo consentiens: τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδόης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ Θεοφίλου. Non alterius fide et opera, quam Hermippi Smyrnaei, usum esse Apollodorum, contendit Menag. ad nostrum Laertii locum; sed fortasse uterque alius antiquioris scriptoris, nescio an non Demetrii Phal., nititur auctoritate. Quodsi Hermippum et Apollodorum sequamur, natus est Plato Ol. LXXXVIII. 1., a. C. 429. Sed refragantur aliorum testimonia, annum quidem, quo natus sit Plato, haud constituentium, sed variantium numerum, quot vixerit, annorum. Athenaeus V. p. 217. eum duo et octoginta annos vixisse asserit, itidem Valer. Max. VIII. 7.; secundum quos natus est Ol. LXXXVII. 4., et quidem 21. vel 22. Maii. Vid. Ideler. *Handb. der Chronolog.* I. p. 336. sq. Clinton. Fasti Hellen. s. a. 429. Restat denique Neanthes, qui unus dicit, Platonem τεττάρων καὶ ὀγδοήκοντα τελευτῆσαι ἐτῶν, igitur natum Ol. LXXXVII. 1., 432. a. C., cuius auctoritati, observatione nisus Marquardi Gudii, tantum tribuit Menagius l. l., ut eius testimonium unice verum existimet. — Corsini disputationem de natali die Platonis, quae est in Gorii Symbolis Litterariis Vol. VI. p. 97., consulere non potui. —

Pythagoras.

LIB. I.

Fragm. XLIV.

Flav. Ioseph. c. Apion. lib. I. c. 22. (Vol. II. p. 453. ed.

Havercamp.): *Πολλοὶ δὲ περὶ αὐτοῦ* (de Pythagora) *ἱστορήκασι, καὶ τούτων ἐπισημότατός ἐστιν Ἕρμιππος, ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἐπιμελής. λέγεται τοίνυν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ Πυθαγόρου βιβλίων, „ὅτι Πυθαγόρας, ἑνὸς αὐτοῦ τῶν συνουσιαστῶν τελευτήσαντος, τοὔνομα Καλλιφῶντος, τὸ γένος Κροτωνιάτου, τὴν ἐκείνου ψυχὴν ἔλεγε συνδιατρίβειν αὐτῷ καὶ νύκτωρ καὶ καθ' ἡμέραν· καὶ ὅτι παρεκελεύετο, μὴ διέρχεσθαι τόπον, ἐφ' ὃν ἂν ὄνος ὀκλάσῃ, καὶ τῶν διψίων ὑδάτων ἀπέχεσθαι, καὶ πάσης ἀπέχειν βλασφημίας." εἶτα προστίθησι μὲν ταῦτα καὶ τάδε· „ταῦτα δ' ἔπραττε καὶ ἔλεγε, τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρᾳκῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν."*

Studet evincere Iosephus, Graecis et inprimis Pythagorae nota fuisse Iudaeorum sacra praecepta. Paullo enim ante nostrum locum, *Πυθαγόρας*, inquit, *ὁ Σάμιος — οὐ μόνον ἐγνωκὼς τὰ παρ' ἡμῖν δῆλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγενημένος.* — Rem autem actam agerem, si ea, quae Meinersius in libro saepius laudato Tom. I. p. 376. sqq. et ante eum Bruckerus Hist. Crit. Phil. I. p. 1002. sqq. uberrime et verissime disputarunt, repetere, imo nihil agerem, si evellere eorum argumenta vellem. Non solus autem fuit Hermippus, licet antiquissimus, qui Pythagoram a Iudaeis et Thracibus suam derivasse doctrinam docuerit. Multorum aliorum praeterea congessit testimonia cum Bruckero Meiners. l. l. atque refutavit, qui huic opinioni addicti, Hermippi aliorumve testimoniis nituntur. Quaecunque igitur de Pythagorae itineribus in Arabiam, Chaldaeam, Palaestinam, Persiam Indiamque susceptis narrantur, pro meris commentis haberi possunt. Sed iam Lactantius, quem mihi Meinersius praetermisisse videtur, a reliquis plerisque abiit; qui lib. IV. c. 2., „Unde," inquit, „soleo mirari, quod, quum Pythagoras et postea Plato, amore veritatis indagandae accensi, ad Aegyptos et Magos et Persas penetrassent, ut earum gentium ritus cognoscerent, (suspicabantur enim sapientiam in religione versari,) ad Iudaeos ta-

men non accesserint, penes quos tunc solos erat, et ad quos facilius ire potuissent." Cf. Ritter. *Gesch. der Pythagor. Philos.* p. 11. 19. 21.

Fragm. XLV.

Diog. L. VIII. 1.: *Πυθαγόρας Μνησάρχου δακτυλιογλύφου, ὥς φησιν Ἕρμιππος, Σάμιος, ἢ ὡς Ἀριστόξενος, Τυῤῥηνός.*

Restituendum est *Σάμιος*, quod perperam omisit edit. Menag.; nam iunguntur haec verba per antithesin cum sequentibus. — Sumta haec esse ex libro primo, nemo non videt. Apuleius Floridis I., laudatus Menagio, „Profugit," inquit, „ex insula (Samo) clanculo Pythagoras, patre Mnesarcho nuper amisso: quem comperio inter sellularios artifices, gemmis faberrime sculpendis laudem magis, quam rem, quaesisse." Cf. Tzetz. Chil. XI. 369. Mahn. Diatrib. de Aristox. p. 29.

LIB. II.

Fragm. XLVI.

Diog. Laert. VIII. 10.: *Ἀπείχοντο δὲ* (Pythagorei) *καὶ σοροῦ κυπαρισσίνης, διὰ τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον ἐντεῦθεν πεποιῆσθαι, ὥς φησιν Ἕρμιππος ἐν δευτέρῳ περὶ Πυθαγόρου.*

Iamblich. V. Pythag. sect. 155.: *Κυπαρισσίνην δὲ μὴ δεῖν κατασκευάζεσθαι σορὸν ὑπαγορεύει* (Pythagoras), *διὰ τὸ κυπαρίσσινον γεγονέναι τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον.* De sceptro Iovis Olympii cf. Pausan. V. 11. 1. Suspicatur Aldobrand. ad nostrum locum, Iovis sceptrum inde e cupressu factum esse, quod in Creta, quae Iovi sacra fuerit, maximae cupressi gignantur, ut Plin. H. Nat. XVI. 33. sect. 60. Cretam patriam earum appellet. Vid. Menag.

EX LIBRO INCERTO.

Fragm. XLVII.

Diog Laert. VIII. 40. et 41.: Ἕρμιππος δέ φησι, πολεμούντων Ἀκραγαντίνων καὶ Συρακουσίων, ἐξελθεῖν μετὰ τῶν συνήθων τὸν Πυθαγόραν καὶ προστῆναι τῶν Ἀκραγαντίνων. τροπῆς δὲ γενομένης, περικάμπτοντα αὐτὸν τὴν τῶν κυάμων χώραν, ὑπὸ τῶν Συρακουσίων ἀναιρεθῆναι· τούς τε λοιπούς, ὄντας πρὸς τοὺς πέντε καὶ τριάκοντα, ἐν Τάραντι κατακαυθῆναι, θέλοντας ἀντιπολιτεύεσθαι τοῖς προεστῶσι. — καὶ ἄλλο τι περὶ Πυθαγόρου φησὶν ὁ Ἕρμιππος· λέγει γάρ, ὡς γενόμενος ἐν Ἰταλίᾳ, κατὰ γῆς οἰκίσκον ποιῆσαι, καὶ τῇ μητρὶ ἐντείλαιτο τὰ γινόμενα εἰς δέλτον γράφειν, σημειουμένην καὶ τὸν χρόνον· ἔπειτα καθιέναι αὐτῷ ἔστ' ἂν ἀνέλθῃ· τοῦτο ποιῆσαι τὴν μητέρα. τὸν δὲ Πυθαγόραν μετὰ χρόνον ἀνελθεῖν ἰσχνὸν καὶ κατεσκελετευμένον, εἰσελθόντα τε εἰς τὴν ἐκκλησίαν, φάσκειν, ὡς ἀφῖκται ἐξ ᾅδου· καὶ δὴ καὶ ἀνεγίνωσκεν αὐτοῖς τὰ συμβεβηκότα. οἱ δὲ σαινόμενοι τοῖς λεγομένοις, ἐδάκρυόν τε καὶ ᾤμωζον, καὶ ἐπίστευον εἶναι τὸν Πυθαγόραν θεῖόν τινα· ὥστε καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῷ παραδοῦναι, ὡς καὶ μαθησομένας τι τῶν αὐτοῦ· τὰς καὶ Πυθαγορικὰς κληθῆναι. καὶ ταῦτα μὲν Ἕρμιππος.

Credibiliora et quae ad veritatem propius accedunt, sunt quae Dicaearchus et Aristoxenus apud Diogenem Laert. VIII. 39. et 40. de obitu Pythagorae narrant. Coll. Porphyr. V. Pyth. 56., Iamblich. V. Pyth. 249. — Vid. Menag. ad h. l. Variant tamen vel maxime scriptorum opiniones de morte Pythagorae; cf. Brucker. Hist. Phil. Vol. I. p. 1201. Alii tradunt Cylonem, Crotoniatarum principem, quem Pythagoras in collegium suscipere noluit, hac repulsa exacerbatum dolo trecentos una in contubernio, igne iniecto, combussisse; alii Pythagoram ibi simul perisse, sive domo Milonis, in qua Pythagoras fuerit, a Crotoniatis, metuentibus, ne tyrannide opprimerentur, incensa, hanc mortis eius caussam exstitisse. Cf. Mahn. Diatrib. de Aristoxeno p. 52., ibique laudatos. Ritter. *Gesch. der Py-*

thag. Phil. p. 55 sqq. Meiners. *Gesch. der Wiss.* I. p. 318. sqq. — Duos tantum Pythagorae discipulos ex illo incendio effugisse, testatur Iamblichus V. Pythag. cap. 35., Archippum scilicet et Lysidem, Tarentinos. Vid. Menag. — *καὶ ἐπίστευον τὸν Πυθαγόραν θεῖόν τινα κ. τ. λ.* Respexit ad hoc Pythagorae factum Sophocles Electr. v. 62.:

Ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
Λόγῳ μάτην θνήσκοντας, εἶθ' ὅταν δόμους
Ἔλθωσιν, αὖθις ἐκτετίμηνται πλέον.

Quos versus cum Hermippo consentiens, ita explicat Scholiastes: *Πυθαγόρας καθείρξας ἑαυτὸν ἐν ὑπογείῳ, λογοποιεῖν ἐκέλευσε τὴν μητέρα, ὡς τεθνηκὼς εἴη. καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιφανεὶς, περὶ παλιγγενεσίας καὶ τῶν καθ' ᾅδου τινὰ ἐτερατεύετο, διηγούμενος πρὸς τοὺς ζῶντας περὶ τῶν οἰκείων, οἷς ἐν ᾅδου συντετυχηκέναι ἔλεγεν· ἐξ ὧν τοιαύτην αὐτῷ δόξαν περιέθηκεν,* 131) *ὡς πρὸ μὲν τῶν Τρωϊκῶν Αἰθαλίδης ἦν ὁ Ἑρμοῦ, εἶτα Εὔφορβος, εἶτα Ἑρμότιμος, εἶτα Πύθιος ὁ Δήλιος, εἶτα ἐπὶ πᾶσι Πυθαγόρας. εἰς τοῦτο οὖν ἔοικεν ἀποτείνεσθαι ὁ Σοφοκλῆς.* — Tacent hoc Porphyrius et Iamblichus. Nihil hae fabellae et haec Pythagorae *σοφία τερατώδης* (cf. Sturz. de Pherecyde p. 34.) denotant aliud, quam iam antiquissimis temporibus tributam ei fuisse prudentiam eximiam et vires humanam naturam excedentes, creditumque propterea eius secretum cum diis commercium. Cf. Ritter. l. l. p. 47. et 54. Heinrich. Epimenid. p. 31. Porphyr. V. Pyth. sect. 20. Iamblich. V. P. 30. et 255. — Mater Pythagorae nominatur Pythais, Parthenis ante dicta, Samiarum formosissima; cf. Iamblich. 4., Porphyr. 2. — Mulieres Pythagoreas enumerat Iamblichus V. Pyth. 267. fin., ubi *Πυθαγορίδες* dicuntur; cf. Ritter. l. l. p. 40.

Fragm. XLVIII.

Athen. V. 213. f.: *Καὶ μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας τύραν-*

---

131) Cf. Schol. Apoll. Rhod. I. 645.

νον αὐτὸν ἀναδείξας ὁ φιλόσοφος (Athenio Peripateticus) καὶ τὸ τῶν Πυθαγορικῶν ἀναδείξας δόγμα περὶ τῆς ἐπιβουλῆς καὶ τί ἠβούλετο αὐτοῖς ἡ φιλοσοφία, ἣν ὁ καλὸς Πυθαγόρας εἰσηγήσατο, καθάπερ ἱστόρησε Θεόπομπος ἐν ὀγδόῃ Φιλιππικῶν καὶ Ἕρμιππος ὁ Καλλιμάχειος.

Sensus verborum hic est: Diebus haud multis post tyrannum se ostendit philosophus et placitum Pythagoreorum de insidiis, quidque ipsis philosophia vellet, quam praeclarus Pythagoras, teste Theopompo et Hermippo, introduxisse, suis ipse factis comprobavit. Vid. Wichers. ad Theopomp. p. 153. Sumta haec sunt, exceptis iis, quae ex Theopompo et Hermippo interserta sunt, ex Posidonii Historiis, quem se depromturum profitetur Athen. p. 211. e. Aliter tamen iudicat Wyttenb. in Adnot. ad Bakii Posidonium p. 281., laudatus Wichersio l. l. „Alluditur h. l. ad historiam relatam Diogeni L. in Pythagora VIII. 39. Tradiderunt quidam, affectasse eum philosophum per insidias tyrannidem; Athenionem (is alibi Aristion nominatur; Peripateticae scholae sectator et ex servulo Athenarum tyrannus;) illud exemplum Pythagoricorum renovasse atque etiam imitatum esse, haud dubie significare Athenaeus voluit." Casaub. Cf. fragm. antecedens. — Ἀναδείξας, quod praecedit, vitii suspectum videtur Dindorfio; mihi vero posterius, quippe ex priore repetitum. De multis in h. l. scripturae varietatibus consul. Dind. et Schweigh.

Socrates.

Fragm. XLIX.

Diog. L. II. 38.: Ἀπηνέγκατο μὲν οὖν τὴν γραφὴν (sc. ἀσεβείας καὶ τῶν νέων διαφθορᾶς) ὁ Μέλιτος, εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ· συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής, ὥς φησιν Ἕρμιππος.

Lapsum esse Hermippum, ipse iam sensit Diogenes. Ad-

stipulatur enim Phavorino (ibid.), qui veram esse Polycratis orationem in Socratem negat, propterea quod in ea meminerit murorum, sexto post mortem Socratis anno a Conone instauratorum. . —. Observavit hoc primus Vales. De Critic. lib. I. c. XI. et post hunc Bentl. Diss. de Epist. Socrat. p. 50. Fuit Polycratis oratio in Socratem nonnisi exercitatio sophistica, qualem scripsit pro Clytaemnestra et pro Busiride, uti novimus ex Isocratis oratione *Βούσιρις* inscripta p. 222. ed. Steph. Facile autem Hermippo evenire potuit, ut, quum illam Polycratis orationem fama tantum cognovisset, legissetve parum attente, dicam pro vera haberet. Quod vitium sagacior et cautior evitavit Phavorinus. Ita facillime, et uti rei maxime est consentaneum, illud expedivit Bentleius. Verum Luzacius in Lect. Att. II. 6. p. 129. sqq. et p. 152. sqq. malevolum Peripatetici animum, negligentiam et stuporem in hoc errore castigavit; siquidem eo et Socrates et Polycrates infamati fuerint. — Eodem modo, quo Hermippus, ipsius forte auctoritatem secuti, in errorem inducti sunt Themistius Orat. XXIII., Suid. s. v. *Πολυκράτης*, Quintil. Inst. Orat. II. 17. 4. T. I. p. 375. sq. ed. Spalding. et II. 1. 11. Vol. I. p. 426. ed. Spalding. (quem consule), Aelian. Var. Hist. XI. 10. (cf. ibi Perizon.), allegati a Menagio ad h. l. Cf. Voss. De Hist. Gr. I. 15.

Stilpo.

Fragm. L.

Diog. L. II. 120.: *Γηραιὸν δὲ τελευτῆσαί φησιν Ἕρμιππος οἶνον προσενεγκάμενον, ὅπως θᾶττον ἀποθάνῃ.*

Cf. fragm. 23. Vinolentum fuisse Stilponem testatur Cicero de Fato c. 5.: „Stilponem, Megaricum philosophum, acutum sane hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitio-

sam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in illo libidinis vestigium viderit." Haec, uti alia multa, non dubito quin ex Peripatetici alicuius opere sumserit Cicero.

Theophrastus.

Fragm. LI.

Diog. Laert. II. 55.: *Φησὶ δὲ Ἀριστοτέλης, ὅτι ἐγκώμια καὶ ἐπιτάφιον Γρύλλου μυρίοι ὅσοι συνέγραψαν, τὸ μέρος καὶ τῷ πατρὶ χαριζόμενοι. ἀλλὰ καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου καὶ Ἰσοκράτην φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι.*

Mortem obiit Gryllus, Xenophontis filius, in pugna ad Mantineam conserta. Plurimi patrem potissimum consolaturi, laudibus filium extollebant; in iis etiam Isocrates, ad cuius rhetoricam *τὸ ἐγκωμιάζειν* pertinebat. — Sed nominandum hic est grave librariorum vitium, quod olim Hermippi incuriae tribuebatur; scribebatur enim *Σωκράτην* pro *Ἰσοκράτην*, quod mendum omnes Diogenis editiones obsedit usque ad Huebnerianam, quae prima veram lectionem exhibet. Primus, uti invenio, Bentleius in Diss. de Epist. Socrat. p. 52. offensus est hoc errore non minus quam XXXVII. annorum, qui mortem Socratis inter et pugnam apud Mantineam commissam intersunt; tum eo, quod nihil unquam a Socrate scriptum editumve sit. Sed manum emendatricem loco non admovit. Persanavit hunc Luzacius in Lect. Att. II. 9. p. 148., cuius nominis *Σωκράτην* in *Ἰσοκράτην* mutatio, ipso testante, sic perspicue legitur in collatione Vossiana Vitae Xenophonteae, quae est in fronte editionis Aldinae Operum Xenophonteorum, in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae; cf. Ephemerid. Schol. Darmstad. a. 1827. Sect. II. Nro. 77. p. 614., laudatas Huebnero ad h. l. — Mirum quantum Ruhnkenius in Histor. Crit. Orator. Gr. p. LXXXIV. pravam scripturam *Σωκράτη*, quippe quam contextus satis ostendat, tenendam esse

contendit. Merito autem reiicit quorundam lectionem: *καὶ Ναυκράτη Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι.* Scripsit enim Naucrates Erythraeus, Isocratis discipulus, exemplo excitatus magistri, qui Euagoram mortuum laudaverat, orationes funebres; quae illius emendationis caussa exstitit.

Fragm. LII.

Athen. I. p. 21. a.: *Ἕρμιππος δέ φησι Θεόφραστον παραγίνεσθαι εἰς τὸν περίπατον καθ' ὥραν λαμπρὸν καὶ ἐξησκημένον, εἶτα καθίσαντα διατίθεσθαι τὸν λόγον οὐδεμιᾶς ἀπεχόμενον κινήσεως οὐδὲ σχήματος ἑνός. καί ποτε ὀψοφάγον μιμούμενον ἐξείραντα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη.*

Pro *ἐξείραντα* legebatur *ἐξάραντα.* Cf. Brucker. Hist. Phil. I. p. 482. Stanl. Hist. Phil. P. V. c. 2.

Fragm. LIII.

Diog. Laert. V. 41.: *Φαβωρῖνος δέ φησι, γηράσαντα αὐτὸν* (Theophrastum) *ἐν φορείῳ περιφέρεσθαι· καὶ τοῦτο λέγειν Ἕρμιππον, παρατιθέμενον ἱστορεῖν Ἀρκεσίλαον τὸν Πιταναῖον ἐν οἷς ἔφασκε πρὸς Λακύδην τὸν Κυρηναῖον.*

Phavorinus Arelatensis Adriani tempore floruit, ex Diogene Laertio potissimum notus. Vid. Suidas s. v. *Φαβωρῖνος.* Voss. De Histor. Gr. l. II. c. 10. — Notatur a Menagio (ad h. l.) Vossius, quod de Hermippo Berytio nostra accipiat lib. I. c. 12. Sed non invenio, Vossium haec revera ibi pronuntiasse; quin imo lib. I. c. 16. Theophrasti vitam Smyrnaeo tribuit; quocirca quae de Demetrio, Theophrasti discipulo, ibi narrantur, ad Berytium a Vossio relata, Menagium in illam duxisse sententiam suspicor. — Grandaevus obiit Theophrastus Ol. CXXIII. 2., annos natus LXXXV. Cf. Brucker. Histor. Phil. I. p. 842.

Fragm. LIV.

Athen. VI. 252. c.: *Ἀττάλου δὲ τοῦ βασιλέως ἐγένετο κόλαξ καὶ διδάσκαλος Λυσίμαχος, ὃν Καλλίμαχος μὲν Θεο-*

δώρειον ἀναγράφει, Ἕρμιππος δ' ἐν τοῖς Θεοφράστου μαθηταῖς καταλέγει.

Λυσίμαχος. Ita restituit nomen Casaubonus fide librorum pro *Σίμαχος*. De aliis Lysimachis, quorum nomen simili modo capite imminutum fuit a librariis, vid. Ions. l. 2. p. 12. Lysimachi nostri nulla praeterea, quantum quidem constat, occurrit mentio; cf. Schweigh. ad h. l. — Testatum facit Laertius V. 37., bis mille discipulos ad audiendum Theophrastum confluxisse, quem numerum mire auget Suidas s. v. *Θεόφραστος*. In iis celeberrimi fuerunt Demetrius Phalereus (Cic. Brut. 9. de Fin. V. 9.), et Strato Lampsacenus, Theophrasti in Lyceo successor (Diog. Laert. V. 58. Cic. Acad. Pr. II. 38. Clem. Alex. Strom. I. p. 301. Suidas s. v. *Στράτων*). Praeter hos Duris Samius, multis *πολυϊστορίας* monumentis clarus, cum fratre Lynceo ex Theophrasti schola prodierunt; cf. Luzac. Lect. Att. II. 9. p. 117.; itidem Democles orator (cf. Ruhnk. Hist. Cr. Or. Gr. p. XCI.); Procles et Demaratus (Sext. Empir. adv. Gramm. lib. I. c. 12. sect. 258.); Dinarchus (Ions. l. l. III. 6. 4.); et quos nominat ipse Diogenes L., Nicomachus, Aristotelis filius, Theophrasto carissimus, V. 39., Comicus Menander, V. 36., Erasistratus medicus, V. 57.

Zeno Eleates.

Fragm. LV.

Diog. L. IX. 27.: Ἕρμιππος δέ φησιν, εἰς ὅλμον αὐτὸν βληθῆναι καὶ κατακοπῆναι.

Floruit Zeno circa Olymp. septuagesimam nonam. Diog. L. IX. 2. Suidas s. v. *Ζήνων Ἐλεάτης*. — Tyrannus ille, adversus quem conspiraverat Zeno (cf. Valer. Maxim. III. 3.) et a quo eum Hermippus in mortario contusum fuisse tradit, ab aliis Nearchus, Diomedon ab aliis traditur. — Valer. Max. l. l. Phalaridem nominat, quod chronologiae adversatur; cf.

Brucker. Hist. Crit. Phil. Vol. I. p. 1168. Rectissime Nearchus habendus est mortis philosophi auctor. Cf. Cic. de Nat. Deor. III. 33. Caeterum Hermippus et Ammianus Marc. XIV. 9. Zenonem Stoicum et Anaxarchum cum Eleate confundere videntur Bruckero l. l. Sed Bruckerum refutat Diogenis epigramma, quod Hermippi testimonio nititur:

Ἤθελες, ὦ Ζήνων, καλὸν ἤθελες, ἄνδρα τύραννον
Κτείνας, ἐκλῦσαι δουλοσύνας Ἐλέαν.
Ἀλλ' ἐδάμης. δὴ γάρ σε λαβὼν ὁ τύραννος ἐν ὅλμῳ
Κόψε. τί τοῦτο λέγω; σῶμα γάρ, οὐχὶ δὲ σέ.

Diogenes.

Fragm. LVI.

Diog. L. VI. 29.: *Φησὶ δὲ Ἕρμιππος ἐν τῇ Διογένους πράσει, ὡς ἁλοὺς καὶ πωλούμενος ἠρωτήθη, τί οἶδε ποιεῖν, ἀπεκρίνατο, „Ἀνδρῶν ἄρχειν." καὶ πρὸς τὸν κήρυκα, „Κήρυσσε," ἔφη, „εἴ τις ἐθέλει δεσπότην αὑτῷ πρίασθαι." κωλυθεὶς καθίζεσθαι, „Οὐδὲν," ἔφη, „διαφέρει· καὶ γὰρ τοὺς ἰχθῦς, ὅπως ἂν κέοιντο, πιπράσκεσθαι." θαυμάζειν τε ἔφη, εἰ χύτραν μὲν καὶ λοπάδα ὠνούμενοι κομποῦμεν, ἀνθρώπου δὲ μόνῃ τῇ ὄψει ἀρκεῖσθαι. ἔλεγε τῷ Ξενιάδῃ τῷ πριαμένῳ αὐτόν, δεῖν πείθεσθαι αὐτῷ, εἰ καὶ δοῦλος εἴη· καὶ γὰρ ἰατρὸς ἢ κυβερνήτης, εἰ δοῦλος εἴη, πεισθῆναι δεῖν αὐτῷ.*

Omnia, quae transscripsi, Hermippi haud dubie sunt; unius enim sunt tenoris; orationis nexum temere a Diogene variari, iam supra animadvertimus. — *ἀνδρῶν ἄρχειν.* Gell. Noct. Att. II. 18.: „Diogenes etiam Cynicus servitutem servivit: sed is ex libertate in servitutem venum ierat: quem quum emere vellet Xeniades Corinthius, et quid is artificii novisset, percunctatus, „Novi," inquit Diogenes, „hominibus liberis imperare." Tum Xeniades, responsum eius demiratus, emit et manumisit, filiosque suos ei tradens, „Accipe," inquit, „liberos meos, quibus imperes."" Cf. Menag.

ad nostrum l. Xeniadis historiam vide ap. Diog. L. VI. 74. sqq. — De more antiquo, ut, dum praeco venales praedicaret, interea saltarent ipsi in circuitum per coronam, ut cognoscerentur, quales essent, vid. Is. Casaub. et Ioach. Kuehn. in Observat. ad h. l., qui mancipia dicit stetisse, ut emptor eo melius inspicere posset mercem. — „Pro σκοποῦμεν scio quaedam exemplaria habere κομποῦμεν; sed haec lectio nullo modo admitti potest, aut ego valde fallor." H. Steph. — Revera fallitur Stephanus; nam κομποῦμεν Palatini Codicis et Florentinorum confirmatur auctoritate, testante Menagio ad h. l.; quam lectionem recipere non dubitavi. Adhibetur autem vox κομπεῖν de vasorum sonitu, uti testatur Eustath. ad Il. *M.* p. 896. ed. Rom., qui nostrum locum ob oculos habuit: *Τὰ δὲ κομπεῖν καὶ ἐπὶ σκευῶν ἦχον λέγεται· — κομπεῖν γὰρ χύτραν ἢ λοπάδα φησὶν ὁ Λαέρτης ἐν τοῖς τῶν Σοφιστῶν βίοις.* Cf. Menag. Simile dictum est Aristippi apud Diog. L. II. 78.

Menippus.

Fragm. LVII.

Diog. Laert. VI. 99.: *Φησὶ δ' Ἕρμιππος ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι· καὶ γὰρ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεχυριάζειν· ὥστε πάμπλειστα χρήματα ἀθροίζειν. τέλος δὲ ἐπιβουλευθέντα πάντων στερηθῆναι καὶ ὑπ' ἀθυμίας βρόχῳ τὸν βίον μεταλλάξαι.*

Ἡμεροδανεισταὶ i. q. *τοκύγλοφοι*, *toculliones*, qua voce utitur Cic. ad Att. epist. II. 1. Vid. Casaubon. ad. Theophrasti Charact. *Κεφ.* *ς'. περὶ ἀπονοίας*, et Salmas. De modo usurar. p. 65., Casaubono laudatum. Cf. praeterea Turneb. Adversar. III. 21. p. 94. XVII. 3. p. 507. Astio allegata. Adde Vales. Emendat. lib. IV. c. III. Menag. ad locum Laertii, qui excitat Plaut. Epidic. I. 1. 51., ubi vid. Taubmann. —

Persaeus Stoicus.

Fragm. LVIII.

Athen. IV. 162. d.: *Πιστευθεὶς, ὥς φησιν Ἕρμιππος, ὑπ' Ἀντιγόνου τὸν Ἀκροκόρινθον, κωθωνιζόμενος ἐξέπεσε καὶ αὐτῆς τῆς Κορίνθου, καταστρατηγηθεὶς ὑπὸ τοῦ Σικυωνίου Ἀράτου.*

Persaeus, Cittio oriundus, Ol. 134. floruit, Zenonis familiaris vel servus. Diog. L. VII. 6. Athen. IV. 162. e. Gell. Noct. Att. II. 18. Suid. s. v. Menagius ad Diog. Laert. VII. 36. Tanta valuit apud Antigonum Gonat. gratia, cuius praeceptor fuerat (Gell. III. 17.), ut ab eo Acrocorintho praefectus fuerit. Aratus Sicyonius, Achaeorum dux, dum Persaeus convivio interesset, arcem dolo expugnavit, Ol. 134. 1., quam tenuerunt Achaei usque ad Ol. 138. 1. Polyb. II. 52. Plut. Vit. Arat. p. 308. sqq. Pausan. VII. 8. 1. — De Persaeo consule praeter Menag. l. l. Aelianum V. H. III. 17. ibique Perizonium, Brucker. Hist. Phil. I. p. 968., Ions. I. 2. 2., Ernest. ad Callimach. p. 590. sq., Clinton. Fasti Hellen. p. 368. (i). — Eustathius ad Il. p. 953. 35. ed. Rom. hunc Athenaei locum succincte transscripsit, mente Athenaei non percepta: (*ἱστορεῖται δὲ ὁ τοῦ Σωφρονίσκου φιλόσοφος ὁ καὶ δοξάσας καὶ διαμιλληθεὶς πρὸς Ζήνωνα — Ἀράτου*:) nam verbis *ὁ Σωφρονίσκου φιλ.* Persaeum subintellexit, manifesto errore; siquidem Demetrium Persaei patrem ex Suida (Tom. III. p. 100.) comperimus. In textu Athenaei post *ὁ Σωφρ.* distinctionem minorem esse ponendam, et *φιλόσοφος* ad Persaeum trahendum, uti in ed. Venet. scribitur, bene monuit Schweigh. ad nostrum locum, re a Casaubono prorsus non animadversa. Improbanda igitur etiam Dindorfii interpunctio.

§. 4.

DE SERVIS ERUDITIONE CLARIS.

LIB. II.

Fragm. LIX.

Suidas s. v. Ἴστρος, Μενάνδρου, Ἴστρου, Κυρηναῖος ἢ Μακεδὼν, συγγραφεὺς, Καλλιμάχου δοῦλος καὶ γνώριμος. Ἕρμιππος δὲ αὐτόν φησι Πάφιον ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων.

Confundit Menag. ad Diogen. L. II. 105. Istrum cum Hermippo; dicit enim: „Quin et Ister, Suida teste, librum scripserat τῶν διαπρεψ. κ. τ. λ." De Callimachi discipulis supra disseruimus. Scriptorum eius titulos collegerunt Voss. De Histor. Gr. IV. 12. Ions. II. 6. 1. Cf. Weichert. de Apollon. Rhod. p. 17. Iusta sine caussa Vossius l. l. Istrum servum fuisse negat; imo potior fides habenda Hermippo, Istri condiscipulo. (Ions. II. 9. 4.) — Ister avi nomen tulit, frequenti apud Graecos more, quo avorum nomina nepotibus tribuebantur. Monuerunt quaedam hac de re Palmerius Exercitat. in auctores Graec. p. 752. sq. et Lehnert. in Excursu ad Aelian. V. H. Tom. II. p. 261., Sturz. De nominibus Graecor. prolus. IV. p. 11., laudati Baguetio Comment. de Chrysippo, et Deswertio De Heracl. Pont. p. 3. Plura praeterea collegit exempla Marx. ad Ephor. p. 11.

---

§. 5.

VITAE ORATORUM GRAECORUM.

Gorgias.

Fragm. LX.

Athen. XI. 505. d.: Ἕρμιππος δ' ἐν τῷ περὶ Γοργίου, „Ὡς ἐπεδήμησε," φησὶ, „ταῖς Ἀθήναις ὁ Γοργίας μετὰ

τὸ ποιήσασθαι τὴν ἀνάθεσιν τῆς ἐν Δελφοῖς ἑαυτοῦ χρυσῆς εἰκόνος, εἰπόντος τοῦ Πλάτωνος, ὅτε εἶδεν (ἴδεν Schweigh.) αὐτὸν, „Ἥκει ἡμῖν ὁ καλός τε καὶ χρυσοῦς Γοργίας·" ἔφη ὁ Γοργίας, „Ἦ καλόν γε αἱ Ἀθῆναι καὶ νέον τοῦτον Ἀρχίλοχον ἐνηνόχασιν."

Plin. H. Nat. XXXIII. 4. 24.: „Hominum primus et auream statuam et solidam Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit." A Graecis Gorgiae hunc honorem habitum, testatur Cic. de Orat. III. 32. 129., coll. Valer. Max. VIII. 15. Ext. 2. Factum hoc est Ol. circiter LXX.; cf. Clinton. Fasti Hellen. p. 388. ed. Krueger. Foss. Commentat. de Gorgia Leontino p. 11. sq. — Quum legisset Gorgias Platonis dialogum cognominem, „Ὡς καλῶς," inquit, „οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν." Plura Platonis simultatis exempla profert Athen. XI. c. 15.; cf. Mahn. Diatr. de Aristox. p. 114. — De Platonis et Xenophontis mutua simultate cf. Gell. Noct. Att. XIV. 3. Aug. Boeckh. Dissert. de simultate, quae Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur, Berol. 1821. Foss. l. l. p. 24. sq. Ὡς ἐπεδήμησε. Ἐπιδημεῖν usitata vox de peregrinationibus Sophistarum certa sede carentium. Plat. Protag. p. 309. et 310., Hipp. Mai. p. 282.; cf. Foss. l. l. p. 25.

Isocrates.

Fragm. LXI.

Athen. XIII. 592. d.: Ἕρμιππος δ' ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους προβαίνοντά φησι τῇ ἡλικίᾳ τὸν Ἰσοκράτη ἀναλαβεῖν Λαγίσκαν τὴν ἑταίραν εἰς τὴν οἰκίαν, ἐξ ἧς καὶ γενέσθαι αὐτῷ θυγάτριον.

Strattis Comicus apud Athen. l. l. in Atalanta:

Καὶ μὴν Λαγίσκαν τὴν Ἰσοκράτους παλλακὴν
Ἰδεῖν με συκάζουσαν εὐναίαν ἔτι,
Τόν τ' αὐλοτρύπην αὐτόν.

Cf. Harpocrat. in *Λαγίσκα* et Scriptor Vitae Isocratis a Mustoxyde editae (p. X. ed. Dind.): *σκώπτουσι δὲ αὐτὸν οἱ κωμικοὶ ἐπὶ τῇ Λαγίσκῃ κ. τ. λ.*

Fragm. LXII.

Scriptor argumenti orationis ad Philippum: *Ἔγραψε δ' ὁ Ἰσοκράτης τὸν λόγον γέρων ὢν, μικρὸν πρὸ τῆς ἑαυτοῦ καὶ Φιλίππου τελευτῆς, ὥς φησιν Ἕρμιππος.*

Testatur idem etiam Cicero Orat. 52. 176.: „Quin etiam se ipse tantum, quantum aetate procedebat, — relaxarat a nimia necessitudine numerorum; quod declarat in eo libro, quem ad Philippum Macedonem scripsit, quum iam admodum esset senex." Cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. p. 785. Harl. — Scripta est oratio *πρὸς Φίλιππον* ante belli phocici finem (p. 93. c.) Ol. 108. 3., a. C. 346. Vid. Clinton. Fasti Hellen. s. h. anno ibique Krueger. Mortem obiit Isocrates Ol. 110. 3., a. C. 338.; cf. Dionys. Halic. p. 537. Plut. Vit. X. Orat. p. 837. Cic. de Sen. 5. Philippus autem, Macedoniae rex, occiditur Ol. 111. 1., a. C. 336. Arrian. Anabas. I. 1. init.

---

§. 6.

DE ISOCRATIS DISCIPULIS. 132)

LIB. II.

Isaeus.

Fragm. LXIII.

Harpocration s. v. *Ἰσαῖος, εἷς ἐστι τῶν δέκα ῥητόρων οὗτος. μαθητὴς δὲ ἦν Ἰσοκράτους, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους, Ἀθηναῖος τὸ γένος, καθά φησιν Ἕρμιππος ἐν δευτέρῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν.*

132) Secutus sum in recensendis oratoribus seriem chronologicam.

Demetrius (ibid.) Chalcidensem fuisse tradit. Ita etiam Pseudoplut. Vit. X. Orat. p. 839. e., qui praeterea Isaeum Athenas se contulisse et Lysiae operam dedisse testatur. Coll. p. 844. b. Praeter Plutarchum Dionysius Halic. et Photius Isaei vitam enarrarunt. — Male antea scribebatur *Εὔριπος* et *μαθημάτων*. Cf. Menag. ad Diog. L. II. 55. Meurs. Lect. Att. lib. V. c. 21. Ruhnk. Histor. Crit. Orat. Gr. p. LXIV.

Fragm. LXIV.

Dionys. Halic. de Isaeo Iudic. c. I.: *Οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος, ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος, ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἴρηκεν, ἔξω δυοῖν τούτων, ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων.*

Haec ex secundo libro desumta esse, rerum consensus cum iis, quae antecedente fragmento commemoratae sunt, testatum facit. — Plut. Demosth. p. 848. med.: *Ἐχρήσατο* (Demosthenes) *δ' Ἰσαίῳ πρὸς τὸν λόγον ὑφηγητῇ, καίπερ Ἰσοκράτους τότε σχολάζοντος.* — Philosophos, qui Isaei aequales haberi possunt, nominat Diodor. Sicul. l. XV. 76. fin.: *Ὑπῆρξαν κατὰ τούτους τοὺς χρόνους* (Archonte Cephisodoro Ol. 103. 3.) *ἄνδρες ἄξιοι μνήμης Ἰσοκράτης τε ὁ ῥήτωρ — καὶ Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος, ἔτι δὲ Ἀναξιμένης ὁ Λαμψακηνὸς καὶ Πλάτων ὁ Ἀθηναῖος· ἔτι δὲ τῶν Πυθαγορικῶν φιλοσόφων οἱ τελευταῖοι* (cf. Diog. Laert. VIII. 46.), *Ξενοφῶν τε, ἐσχατόγηρως ὤν, Ἀρίστιππός τε καὶ Ἀντισθένης· πρὸς δὲ τούτοις Αἰσχίνης ὁ Σφήττιος ὁ Σωκρατικός.*

Demosthenes.

Fragm. LXV.

Suidas s. v. *Δημοσθένης* (Tom. I. p. 545.): *Δημοσθένης — ἐπιμελὴς μᾶλλον ἢ εὐφυής, ὡς Ἕρμιππος ἱστορεῖ, καὶ τὰς ἡδονὰς ἀκόλαστος, ὡς αὐτός φησιν.*

Cf. Athen. XIII. p. 592. e. f. Idomeneus apud. Athen. l. l.: Ἀκόλαστος ἦν ὁ ῥήτωρ (Demosth.) περὶ τὰ ἀφροδίσια. Idem de eius praeceptore Isaeo refert Vitae Isaei Scriptor. Aeschin. ἐν τῷ περὶ πρεσβ. p. 260.: Ἐν παισὶ μὲν γὰρ ὢν (Demosthen.) ἐκλήθη δι' αἰσχρουργίαν τινὰ ἢ κιναιδίαν Βάταλος. Cf. Suidas s. v. Βάταλος (Vol. I. p. 423.).

Fragm. LXVI.

Plut. Vit. Demosth. c. V. (p. 848. b. Francof.): Ἕρμιππος δέ φησιν ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο, τὸν Δημοσθένη συνεσχολακέναι Πλάτωνι καὶ πλεῖστον εἰς τοὺς λόγους ὠφελῆσθαι, Κτησιβίου δὲ μέμνηται λέγοντος παρὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου καί τινων ἄλλων τὰς Ἰσοκράτους τέχνας καὶ τὰς Ἀλκιδάμαντος κρύφα λαβόντα τὸν Δημοσθένη καταμαθεῖν.

Συνεσχολακέναι. Vide Kuehn. ad Diog. Laert. IV. 24. — Πλάτωνι — ὠφελῆσθαι. Testatur idem quoque Cicero Orat. c. 4. sect. 15.: „Cuius (Demosthenis) ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor;" et Brut. c. 31. sect. 121.: „Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur; idque apparet ex genere et granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese." Pseudoplut. Vit. X. Orat. p. 844. b. scriptoris illius ignoti testimonium confirmat: Παρὰ τῇ μητρί, inquit, διῆγε σχολάζων (sc. Demosthenes) Ἰσοκράτει, ὥς τινες ἔφασαν, ὡς δὲ οἱ πλεῖστοι, Ἰσαίῳ τῷ Χαλκιδεῖ, ὃς ἦν Ἰσοκράτους μαθητής, διάγοντι ἐν Ἀθήναις, ζηλῶν Θουκυδίδην καὶ Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον, ᾧ τινες εἶπον προηγουμένως αὐτῷ σχολάσαι. Cf. Gell. Noct. Att. III. 13. in sequente fragmento. Ridicula profert Schol. ad Arist. Rhet. apud Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. p. 57.: Πλάτων ἀπεδίωκε τῆς αὐτοῦ διατριβῆς τὸν Δημοσθένην, ὡς λεξιθήραν. — De Ctesibio Historico vid. Voss. De Histor. Gr. I. 15. De Callia vid. idem Voss. l. l. I. 11. Cf. Barton. ad nostrum locum. Alcidamas Elaeïtes, Elaea,

Aeoliae urbe, oriundus, Gorgiae discipulus, scripsit secundum Quintil. Inst. l. III. 1. 10. artem rhetoricam, a Platone Palamedes dictus; cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. p. 776. sq. — Athen. XIII. 592. c. eius ἐγκώμιον Ναΐδος τῆς ἑταίρας refert. De his viris, quorum opera Demosthenes in eloquentia profecit, ex eodem Ctesibio haec narrat Plut. de X. Orat. p. 844. c.: Ὡς δὲ Κτησίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ φιλοσοφίας, διὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου πορίσας (Demosthenes) τοῦ Ζήθου τοῦ Ἀμφιπολίτου λόγους, διὰ δὲ Χαρικλέους τοῦ Καρυστίου τοὺς Ἀλκιδάμαντος, ἀνέλαβεν αὐτούς: quibus nostra confirmantur. Cf. Reines. Var. Lect. l. III. c. 2. p. 528. sq.

Fragm. LXVII.

Gell. Noct. Att. III. 13.: *Hermippus hoc scriptum reliquit, Demosthenem admodum adolescentem ventitare in Academiam Platonemque audire solitum. Atque is, inquit, Demosthenes domo egressus, uti ei mos erat, quum ad Platonem pergeret compluresque populos concurrentes videret, percontatur eius rei caussam, cognoscitque currere eos auditum Callistratum. Is Callistratus Athenis orator in re publica fuit. Illi δημαγωγοὺς appellant. Visum est paullum devertere experirique, an ad digna auditu tanto properatum studio foret. Venit, inquit, atque audit Callistratum nobilem illam τὴν περὶ Ὠρωποῦ δίκην dicentem: atque ita motus et demulctus et captus est, ut Callistratum iam inde sectari coeperit, Academiam cum Platone reliquerit.*

Quae Plutarchus Vit. Demosth. c. 5. narrat, tam sunt similia Gellianis, ut eum Hermippi Vitam Demosthenis hic ob oculos habuisse existimem. Coll. Hegesias Magnes apud Pseudoplutarchum de X. Orat. p. 844. b., quem Ruhnken. Histor. Crit. Orat. Gr. p. LIX. falso Demetrium nominat. De Callistrato Aphidnaeo, Callicratis filio, cf. Ruhnk. l. l. — Oropus urbs in Euripi littore sita, Atticae et Boeotiae media. Hanc Callistratus Chabriae negligentia Atheniensibus a The-

banis ereptam esse, illustri illa caussa ostendit, quae dicta est Ol. 103. 3., quum Demosthenes aetatis annum ageret decimum sextum. Cf. Barton. ad Plutarchi, locum modo laudatum. De Gellianis vid. Gronovius in notis.

Fragm. LXVIII.

Plut. V. Demosth. c. XXX.: *Τὸ δὲ φάρμακον Ἀρίστων μὲν ἐκ τοῦ καλάμου λαβεῖν φησιν αὐτὸν, ὡς εἴρηται· Πάππος δέ τις, οὗ τὴν ἱστορίαν Ἕρμιππος ἀνείληφε, φησὶ, πεσόντος αὐτοῦ παρὰ τὸν βωμὸν, ἐν μὲν τῷ βιβλίῳ γεγραμμένην ἐπιστολῆς ἀρχὴν εὑρεθῆναι, „Δημοσθένης Ἀντιπάτρῳ," καὶ μηδὲν ἄλλο. θαυμαζομένης δὲ τῆς περὶ τὸν θάνατον ὀξύτητος, διηγεῖσθαι τοὺς παρὰ ταῖς θύραις Θρᾷκας, ὡς ἔκ τινος ῥακίου λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα προσθοῖτο τῷ στόματι καὶ καταπίοι τὸ φάρμακον. αὐτοὶ δ' ἄρα χρυσὸν ᾠήθησαν εἶναι τὸ καταπινόμενον, ἡ δ' ὑπηρετοῦσα παιδίσκη, πυνθανομένων τῶν περὶ Ἀρχίαν, φαίη πολὺν εἶναι χρόνον, ἐξ οὗ φοροίη τὸν ἀπόδεσμον ἐκεῖνον ὁ Δημοσθένης ὡς φυλακτήριον.*

Πάππος — ἀνείληφε. De hoc Pappo, qui historicus videtur fuisse, nihil nisi nomen innotuit. — Similia furta multi veteres scriptores commisisse traduntur. De Platonis plagiis vid. Theopomp. apud Athen. XI. 508. c. d., Laert. III. 9., Euseb. Praep. Ev. X. p. 468. a. b. (allegati a Deswertio ad Heracl. Pont. p. 23.): cf. Brucker. Hist. Crit. Phil. Vol. I. p. 640.; de Aristotelis idem p. 794.; de Zenonis p. 902. — Ex Androne Theopompus quaedam furatus est secundum Euseb. Praep. Ev. lib. X. p. 464. b. et 467. d. Ions. De Scriptor. H. Ph. I. 8. 2. Chamaeleonti Heracliden Ponticum ea, quae de Homero scripsit, suffuratum esse, testatur Diog. L. V. 92. Quae Plutarchus ex Heraclide derivavit, eadem ex Chamaeleonte affert Athenaeus; cf. Ions. l. l. I. 17. p. 107. Eratosthenem plagii insimulat auctor Epitomes Artemidori Ephesii: *Ἐρατοσθένης δ' ὁ Κυρηναῖος οὐκ οἶδα τί παθὼν,*

τὰ Τιμοσθένους μετέγραψε βιβλίον, βραχέα τινὰ προσθεὶς, ὡς μηδὲ τοῦ μνημονευθέντος ἀποσχέσθαι, ἀλλ' αὐταῖς λέξεσι κἀκεῖνο τοῦ ἐκείνου προσθεῖναι συγγράμματος. Vid. Thomas. De plagio §. 522., allegatus a Deswertio l. l. Galen. Comment. in Hippocrat. Epid. l. 3. Comm. I. p. 239. Chart. Luzac. Lect. Att. II. 10. p. 150. Vetustissimi Grammatici de scriptorum furtis meminit Ruhnk. Hist. Crit. Orat. Gr. p. LII. Clemens Alexandrinus toto libro VI. Strom. inde a p. 263. Sylb., quid posteriores a prioribus mutuati sint, ostendit. Cf. Reines. Var. Lect. III. c. 2. p. 331. — Peripateticos autem seu polyhistores Alexandrinos aliorum scrinia consulto compilasse et sublecta pro suis venditasse, non censuerim; siquidem in tanta illorum eruditione facile evenire potuit, ut quae sine addito scriptoris nomine excerpsissent, temporis tractu, illius nomine oblivioni dato, pro suis haberent; quam *magnanimitatem* in nostrae aetatis et quae eam antecesserunt, viris doctis notavit Heinrichius ad Cic. de Rep. lib. I. init. ed. maior. Biographi inprimis saepius reticere solent, quibus usi sunt, scriptores, uti de Plutarcho constat.

A e s i o n.

Fragm. LXIX.

Plut. V. Demosth. p. 851. a.: *Αἰσίωνα δέ φησιν Ἕρμιππος ἐρωτηθέντα περὶ τῶν πάλαι ῥητόρων καὶ τῶν καθ' αὐτὸν εἰπεῖν, ὡς ἀκούων μὲν ἄν τις ἐθαύμασεν ἐκείνους εὐκόσμως καὶ μεγαλοπρεπῶς τῷ δήμῳ διαλεγομένους, ἀναγινωσκόμενοι δ' οἱ Δημοσθένους λόγοι πολὺ τῇ κατασκευῇ καὶ δυνάμει διαφέρουσιν.*

Fuit Aesion condiscipulus Demosthenis, Atheniensis, teste Suida s. v. *Αἰσίων* (— *ᾧ συνεφιλολόγησεν Δημοσθένης*). Demosthenem ipsum de se et Callistrato eodem modo iudicasse, tradit Ulpianus in Demosth. c. Timocr. p. 822., cita-

tus a Ruhnkenio Hist. Crit. Or. Gr. p. LXXV.; cf. Ions. De Scriptor. H. Ph. I. 7. 2. Reines. Var. Lect. l. III. 2. p. 330.

LIB. III.

Hyperides.

Fragm. LXX.

Athen. VIII. 342. c.: *Καὶ ὁ Ἕρμιππος δέ φησιν ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν, ἑωθινὸν τὸν Ὑπερείδην ποιεῖσθαι νῦν τοὺς περιπάτους ἐν τοῖς Ἰχθύσιν.*

Ποιεῖσθαι περιπάτους ἐν τ. Ἰ. optime vertit Schweigh. *scholas habere in foro piscario ibique docere.* Ita Platonis schola *ὁ Πλάτωνος περίπατος* vocatur apud Athen. l. VIII. 354. d.

Fragm. LXXI.

Pseudoplut. Vit. X. Orator. p. 849. c.: *Ἕρμιππος δέ φησιν αὐτὸν γλωττοτομηθῆναι εἰς Μακεδονίαν ἐλθόντα καὶ ῥιφῆναι ἄταφον, Ἀλφίνουν δὲ, ἀνεψιὸν ὄντα αὐτῷ, ἢ, ὥς τινες, Γλαυκίππου τινὸς τὸν υἱὸν διὰ Φιλοπείθους τινὸς ἰατροῦ λαβόντα ἐξουσίαν τοῦ σώματος, καῦσαι αὐτὸν, καὶ τὰ ὀστᾶ κομίσαι εἰς Ἀθήνας τοῖς προσήκουσι, παρὰ τὰ τῶν Ἀθηναίων καὶ Μακεδόνων δόγματα. οὐ μόνον γὰρ κελεῦσαι αὐτοὺς φυγεῖν, ἀλλὰ μηδ' ἐν τῇ οἰκείᾳ ταφῆναι.*

Γλωττοτομηθ. Plut. Vit. Demosth. p. 859. c.: *Ὑπερίδου καὶ τὴν γλῶσσαν ἐκτμηθῆναι λέγουσι.* — Alii eum post cladem ad Cranonem acceptam una cum aliis damnatis Aeginam ex astu profugisse narrant, ne Antipatro dederetur. Sed inde profectum in templo Neptuni Hermionensis comprehensum et ad Antipatrum Corinthum perductum, ibi inter tormenta linguam dentibus conscidisse, ne patriae arcanum eloqui posset. Pseudoplut. l. l. Mortem obiit *Πυ-*

ἀνεψιῶνος ἐννάτῃ ἱσταμένου, Ol. 114. 3., a. C. 322. De Hyperidis et Demosthenis morte vid. Phot. Cod. 22. p. 217., Plut. Vit. Demosth. l. l.; de Hyperide omnino Ruhnken. l. l. p. LXIX.

Euthias.

Fragm. LXXII.

Athen. XIII. 590. d.: Ἦν δὲ ἡ Φρύνη ἐκ Θεσπιέων. κρινομένη δὲ ὑπὸ Εὐθίου τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἀπέφυγε· διόπερ ὀργισθεὶς ὁ Εὐθίας οὐκ ἔτι εἶπεν ἄλλην δίκην, ὥς φησιν Ἕρμιππος.

Haec ex Hermippi libro de Isocratis discipulis sumta esse, iam vidit Iacobs. in Museo Attico Tom. III. Fasc. I. p. 108. et in notis p. 38., ubi etiam de Phrynes historia consulendus est. — Formae Ὑπερίδης et Ὑπερείδης fluctuant. Illam praebent constanter Codic. A. et B., hanc P. V. L. Schweigh. ad h. l.

Fragm. LXXIII.

Harpocration s. v. Εὐθίας. Ὑπερίδης ὑπὲρ Φρύνης. τῶν ἐπὶ συκοφαντίᾳ διαβεβλημένων ἦν ὁ Εὐθίας. τὸν μέντοι λόγον αὐτῷ τὸν κατὰ Φρύνης Ἀναξιμένην πεποιηκέναι φησὶν Ἕρμιππος.

„Fallitur Harpocration; non enim Hermippus docuerat, orationem, quae est contra Phrynem, non ad Euthiam, sed ad Anaximenem pertinere. Imo Diodorus Periegetes. [133]) Testis est Athenaeus omni exceptione maior lib. XIII. 591. e.: Οὐκ ἀγνοῶ δὲ, ὅτι τὸν ἐπιγραφόμενον κατ' αὐτῆς Εὐθίου λόγον Διόδωρος ὁ Περιηγητὴς Ἀναξιμένους φησὶν εἶναι." Ita Maussac. ad h. l. Sed falsum esse ipsum virum doctiss., non est quod moneam. Auctor enim illius orationis Anaxi-

---

133) Fortasse in libris Περὶ μνημάτων, Plut. Vit. Thes. p. 17. d.

menes disertius ab Hermippo, quam a Diodoro, dicitur; et quidni utrumque habuisse potuit testem? Utriusvis testimonium coniungitur apud Plut. Vit. Demosth. c. 28. fin. De Anaximene cf. Ruhnken. l. l. p. LXXXVI. Inter oratores eum refert Dionysius Halic. Epist. ad Amm. c. 2. med.

Theocritus Chius.

Fragm. LXXIV.

Athen. I. 21. c.: Ἕρμιππος δέ φησι, Θεόκριτον τὸν Χῖον ὡς ἀπαίδευτον μέμφεσθαι τὴν Ἀναξιμένους περιβολήν.

De maledico animo Theocriti Chii, poetae epigrammatici, plura exstant testimonia. Notissimum est illud, quod de simultate, quae ei cum Theopompo intercessit, reperitur apud Strabonem XIV. p. 955. b. Plerumque dicteriis perstringere alios solebat; quorum pleraque collegit Pflugk. ad Theopomp. p. 52. Vixit Theocritus Alexandri M. tempore. Cf. Menag. ad Diog. L. V. 11. Iacobs. ad Anthol. Gr. Vol. XIII. p. 958. Ions. De Scriptor. Histor. Phil. I. 9. 3. Finkenstein. *Arethusa* Vol. I. p. 54. Wichers. ad Theopomp. p. 263. sq. Isocraticum fuisse testatur Suidas (Tom. II. p. 177.): Θεόκριτος Χῖος ῥήτωρ, μαθητὴς Μετροδώρου τοῦ Ἰσοκρατικοῦ. — Similiter ut Anaximenem Theocritus, Callistratus Aristarchum Grammaticum vituperat, quod parum concinne vestitus esset. Athen. l. l. — Anaximenes Lampsaco oriundus verisimillime rhetor intelligendus, aequalis Theocrito. Alium Lampsacenum historicum commemorat Diog. L. II. 3. Scripsit Theocriti Chii Vitam etiam Ambryon, teste Diogene Laert. V. 11.; cf. Ions. IV. n. 3.

Theodectes Phaselites.

Fragm. LXXV.

Athen. X. 451. e.: *Θεοδέκτην δὲ τὸν Φασηλίτην φησὶν Ἕρμιππος ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν ἱκανώτατον γεγονέναι ἀνευρεῖν τὸν προβληθέντα γρῖφον, καὶ αὐτὸν προβαλεῖν ἑτέροις ἐπιδεξίως, οἷον τὸν περὶ τῆς σκιᾶς.*

Ponebantur et solvebantur Griphi post epulas; cf. Athen. l. l. p. 448. b. — p. 459. Clearchus Solensis Peripateticus in Syntagmate *Περὶ Γρίφων* septem species Griphorum distinxit; cf. I. Bapt. Verraert. Diatrib. de Clearcho Solens. p. 58. laudatus Schuchio l. l. De *Griphis* copiose Casaubonus ad nostrum locum, Tom. V. p. 521. sqq. Schweigh. — De Theodecte consulendus Ruhnk. l. l. p. LXXXIII. Cf. Dionysius Halic. Epist. ad Amm. c. 5. Suidas s. v. *Θεοδέκτης.*

Archias.

Fragm. LXXVI.

Plut. Vit. Demosth. c. 28. med.: *Ἕρμιππος δὲ τὸν Ἀρχίαν ἐν τοῖς Λακρίτου τοῦ ῥήτορος μαθηταῖς ἀναγράφει.*

Demetrius Periegetes Archiam Anaximeni operam dedisse tradit. Plut. ibid. — Male Reiskius *μαθητήν.*

Thucydides.

Fragm. LXXVII.

Marcellin. Vita Thucydid. (Vol. I. p. 319. ed. Popp.): *Ὁ δὲ Ἕρμιππος καὶ ἀπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν αὐτὸν λέγει τῶν τυράννων ἕλκειν τὸ γένος. διὸ καὶ διαφθονεῖν αὐτὸν φησιν ἐν τῇ συγγραφῇ τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα,*

λέγοντα, ὡς οὐκ ἐγένοντο τυραννοφόνοι· οὐ γὰρ ἐφόνευσαν τὸν τύραννον, ἀλλὰ τὸν ἀδελφὸν τοῦ τυράννου Ἵππαρχον.

Hanc Hermippi opinionem confirmat Scholiast. Thucyd. ad lib. I. c. 20.: *Ταῦτα λέγει ὁ συγγραφεὺς ὡς καὶ αὐτὸς ὢν τοῦ γένους τῶν Πεισιστρατιδῶν, καὶ διαβάλλει τοὺς περὶ Ἁρμόδιον.* Cf. Thucyd. lib. VI. 54. sq. Gell. Noct. Att. XVII. 21. — Pro *διαφθονεῖν* coniicit Poppo *διαφωνεῖν*, quod utique praeferendum; cf. Wichers. ad Theopomp. p. 23.

Cap. II.

DE MAGIS.

LIB. I.

Fragm. LXXVIII.

Diogen. Laert. Prooem. segm. 8.: *Ἀριστοτέλης δ' ἐν πρώτῳ περὶ φιλοσοφίας καὶ πρεσβυτέρους* (Magos) *εἶναι τῶν Αἰγυπτίων· καὶ δύο κατ' αὐτοὺς εἶναι ἀρχάς, ἀγαθὸν δαίμονα καὶ κακὸν δαίμονα, καὶ τῷ μὲν ὄνομα εἶναι Ζεὺς καὶ Ὠρομάσδης, τῷ δὲ Ἅιδης καὶ Ἀρειμάνιος. φησὶ δὲ τοῦτο καὶ Ἕρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Μάγων.*

„Veterum Persarum fides orthodoxa primitiva posuit unicum Boni principium aeternum, quod fuit Deus, eorum lingua dictus Yezàd; eo designant *τὸν Θεόν*. Aliud eius nomen est Ormùzd vel Hormízda; hinc apud Graecos scriptores *Ὠρομάσδης*. Hocque nomen Ormùzd aliquando ad Iovem planetam transfertur. Deinde posuerunt aliud Mali principium creatum ex Tenebris, quod fuit Ahâriman seu Ahrîman, unde fit apud Graecos *Ἀρειμάνιος*, i. e. valde pollutus, spurcissimus, designans Diabolum. Bonum et Malum et Probitas et Improbitas conquisita sunt ex mixtione Lucis et Tenebrarum: quodsi haec duo non fuissent mixta, non exstitisset mundus. — Et haec est religio Magorum." Hydius de re-

ligione Persar. p. 161. ex scriptore Ibn Shahna. Cf. Brucker. Hist. Phil. Vol. I. p. 171. sqq. — An antiquissimae Persarum religioni notus fuerit Dualismus, dubitatur. Certe neque Herodotus neque Xenophon, uterque rerum persicarum gnarus, si quis alius, Dualismi mentionem ullam faciunt. Vid. Zoega: *Abhandlungen herausgegeben v. Welcker*, p. 99. sqq. Quod hic testatur Hermippus, non suam, sed Magorum aperiens sententiam, Agathias etiam observat Histor. l. II. c. 25. p. 119. ed. Bonnens. Coll. Plutarch. de Isid. et Osir. p. 369. Uterque autem scriptor, et Agathias et Plutarchus, Zoroastreum systema cum doctrina antiquiorum magorum confuderunt. Cf. Brucker. l. l. p. 173.

EX LIBRIS INCERTIS.

Fragm. LXXIX.

Plinius Hist. Nat. lib. XXX. c. 2.: *Hermippus, qui de tota ea arte* (sc. Magorum) *diligentissime scripsit, et vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum eius positis, explanavit, praeceptorem, a quo institutum diceret, tradidit Azonacem, ipsum vero quinque millibus annorum ante Troianum bellum fuisse.*

Sub arte magica h. l. doctrina et philosophia Magorum intelligenda est (γοητικὴ et θεουργικὴ), comprehensa in Zoroastris scriptis, sub cuius nomine libros de arte magica plurimos exstitisse refert Auctor Recognitionum Clementi tributarum lib. IV. c. 27., cui hic suffragatur Hermippus. Non autem de solis oraculis et versibus futurorum praenuntiis haec accipienda, ut facit Heurnius p. 123. Histor. Phil. Barb., sed de omnibus scriptis, quae Zoroastris nomine ferebantur. Ita Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 306. Harl. — Subit autem mirari, quomodo Hermippus tam grandem versuum molem, ad quos interpretandos vix tota hominis vita sufficiat, commen-

tario illustrare potuerit. Quocirca errorem librarii latere in hoc numero describendo, non absurde putaveris. Huetius Demonstr. Evang. prop. IV. c. V. (cf. Foucher. supra laud.) legi mavult *bis centum millia*, coniectura sane probabili. Hydium video legisse 100000, omisso vicies (l. l. p. 340.). Sed ita vulgo ingens ille numerus explicatur, (quem Zardushtus ipse intra spatium 4. aut 5. annorum condidisse fertur,) ut, quum veterum Persarum characteres fere maiusculi fuerint, eosque Zardushtus ipse crassiore calamo ornatus et *αὐθεντίας* caussa scripserit, iidem, nostro more depicti, vulgare volumen redderent (Hyd. l. l. p. 314.). Neque autem continuo commentario illud opus illustrasse Hermippus videtur, sed explicuisse duntaxat doctrinam et systema Zoroastreum, ut fuerit eius scriptum quasi epitome Zoroastrei operis. — Praeterea indices quoque voluminum eius posuit. — Composuit enim Zardushtus librum Send-Avesta (cf. Scriptor Arabs apud Hydium p. 315.) duodecim tomis grandibus, quantos portare potuerint tot vituli. Totidem igitur libri Send partium (alibi 21. partes, Nosk appellatae, numerantur, [134]) Hyd. p. 338.) Hermippus indices confecisse videtur, i. e. elenchum rerum ibi comprehensarum. — Hydius p. 340. omnes Zardushti libros scriptos esse prosa, neque eum unquam carmine quidquam composuisse testatur; ideoque quicquid eius carmine exstare praetendatur, ab aliis scriptum esse, qualia sint Graecorum collectanea, quae ei tribuantur. Hac igitur de caussa Hermippus erroris insimulatur, quem fortasse non ille, sed Plinius, fortasse neuter commisit. Quidni enim versus (qua in voce non opus est de carminibus cogitare) pro singulis lineis accipi licet (*στίχοι*)? — Praegrandis autem illius operis Zoroaster non ad antiquissima Chaldaeorum tempora referendus, sed qui inclaruit Darii Hystaspidis

134) Cf. Vullers.: *Fragmente über die Religion des Zoroaster*, p. 15. sqq. Bonn. 1831.

tempore, si duos statuamus Zoroastres, alterum conditorem religionis Persarum, reformatorem alterum. Cf. Brucker. l. l. Vol. I. p. 154. Huic iuniori scripta, quae sub Zoroastris nomine feruntur, tribui vulgo solent, licet non omnia unius esse videantur hominis et forte uno contenta fuerint opere. (Needham. ad Geopon. Prolegom. p. 74. ed. Niclas.) Sed Hermippus et plerique ante eum vetustissimo Zoroastri opus illud adiudicant, et ipsius adeo aetatem figere conantur. (Cf. Diog. L. Prooem.) Hermippi errorem secutus est Plut. de Isid. et Osir. p. 369.: *Ζωρόαστρις ὁ μάγος, ὃν πενταχισχιλίοις ἔτεσι τῶν Τρωϊκῶν γεγονέναι πρεσβύτερον ἱστοροῦσι.* A bello Troiano computasse Hermippum et alios videmus, utpote a primis certioris chronologiae temporibus. — Equidem totam rem hucusque perobscuram illustrandam relinquo viris rerum persicarum peritis. — Hermippus Azonacem tradit Zoroastris praeceptorem, quem aliunde non novimus. Habet eum Stanleius Hist. Phil. P. XIII. c. 5. pro recentiore aliquo. Hyd. l. l. p. 314. Zoroastris Persae praeceptorem Ezram fuisse, verisimillimum autumat, cuius servus, i. e. discipulus, fuerit, teste Abu Muhammede Mustapha; cf. Brucker. l. l. p. 146. et 159. Lobeck. Aglaoph. Vol. I. p. 752.

Fragm. LXXX.

Arnob. I. 52.: *Age nunc veniat quis super igneam zonam, magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori. Bactrianus et ille veniat, cuius Ctesias res gestas historiarum exponit in primo; Armenius Hosthanis nepos et familiaris Pamphylus Cyri.*

Variae huius loci interpunctiones varium sensum praebuere; virorum doctorum coniecturas congessit Stanleius Hist. Philosoph. P. XIII. sect. I. c. 2. — Verba Arnobii ipsa perobscura sunt. Stanl. l. l. aut eo respicere Arnobium suspicatur, quod Suidas narrat, fulmine percussum interisse

Zoroastrem, vel per igneam zonam intelligere sedem numinum, Zonis addictorum, quae est secundum Chaldaicam doctrinam supra Empyreum vel corporeum coelum. Optime explicari Arnobium figmento apud Auctorem Recognitionum Clementis lib. IV. c. 27., vidit iam Brückerus l. l. Vol. I. p. 125., de nostro loco omnino consulendus.

Fragm. LXXXI.

Athen. XI. 478. a.: *Νικόμαχος δ' ἐν πρώτῳ περὶ ἑορτῶν Αἰγυπτίων φησί· „Τὸ δὲ κόνδυ ἐστὶ μὲν Περσικὸν, τὴν δὲ ἀρχὴν, ἣν Ἕρμιππος ἀστρολογικὸς ὡς ὁ κόσμος ἐξ οὗ τῶν θεῶν τὰ θαύματα καὶ τὰ καρπώσιμα γίνεσθαι ἐπὶ γῆς· διὸ ἐκ τούτου σπένδεσθαι."*

Locus obscurissimus et perturbatissimus, in quo aut deficit aliquid, aut perturbata sunt verba mirum in modum, ut difficile sit sensum inde probabilem eruere. Deesse hic aliquid, iam observavit Casaubonus, ita locum concinnans: *τὸ δὲ κόνδυ ἐστὶ μὲν Περσικὸν τὴν ἀρχήν· εἶδος δ' ἔχει ὡς φησιν Ἑρμ. κ. τ. λ.* Sed multo probabilius ab alio quopiam voce ἣν in ἦν mutata, coniectum est: *τὴν δὲ ἀρχὴν ἦν ὡς ὁ κόσμος, ἐξ οὗ φησιν Ἕρμιππος ὁ Ἀστρολογικὸς τῶν θεῶν τὰ θαύματα κ. τ. λ.* Vid. Schweigh., cui ipsi totus locus merae tenebrae, Nicomachus ex nostro tantum loco notus est. — Vox persica kondû significat apiarium, alvearium.

Cap. III.
SCRIPTA GRAMMATICA.

De Hipponacte.

Fragm. LXXXII.

Athen. VII. 327. c.: *Ἕρμιππος δ' ὁ Σμυρναῖος ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος ὕκην ἀκούει τὴν ἰουλίδα· εἶναι δ' αὐτὴν δυσθήρατον.*

Cf. Aelian. de Nat. Anim. II. 44. ibique Schneider. Oppian. Hal. II. 437. sqq. Athen. VII p. 304. f.

Fragm. LXXXIII.

Etym. M. Ἦ δ' ὅς] οἱ μὲν περὶ Ἐρατοσθένην, ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ οὗτος. διὸ καὶ δασύνει τὴν ἐσχάτην· ἐντετάχθαι γὰρ ἄρθρον τὸ ὅς. καὶ ἦ δὲ, ἀντὶ τοῦ ἔφη δέ. καὶ ἦν δ' ἐγὼ, ἀντὶ τοῦ ἔφην ἐγώ. παρ' ὃ δὴ Ἕρμιππος καὶ Ἀρίσταρχος ἀντὶ τοῦ ἔφη δέ.

Cf. Buttm. Gr. Gr. mai. Vol. I. §. 109. not. 4., Fisch. ad Weller. 2. p. 494., Hermann. ad Viger. p. 25., inprimis Bast. ad Gregor. Corinth. p. 144. ed. Schaefer.

Fragm. LXXXIV.

Ioannis Stobaei de temper. sermo V. lemma 59. (Tom. I. p. 154. Gaisford.):

Ἐκ τῆς Ἑρμίππου Συναγωγῆς τῶν καλῶς ἀναφωνηθέντων ἐξ Ὁμήρου·

„Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς εἰς σωφροσύνην ἔλεγε ταῦτα ποιεῖν·

Ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο."

Est versus Odyss. XXIII. 296. — De Grammaticorum argutationibus in Homeri carminibus institutis vid. Gell. Noct. Att. XIV. 6. Plura dabit Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. c. 6. §. 16. Cuius quidem generis illa Demetrii non sunt.

Cap. IV.
EX SCRIPTIS GEOGRAPHICIS.

Fragm. LXXXV.

Schol. Apoll. Rhod. IV. 269.: Ὁ δὲ Νεῖλος οὕτω τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο· Τρίτων· μετωνομάσθη δὲ ἀπὸ Νείλου

τοῦ Κύκλωπος, τοῦ Ταντάλου, βασιλεύσαντος τῆς χώρας, ὡς Ἕρμιππός φησιν.

Cf. Cicero de Nat. Deor. III. 22. Coll. Diog. Laert. Prooem. segm. 1. — Aliter Eustath. ad Dionys. 222.: Τινὲς Νεῖλόν φασιν ὠνομάσθαι ἀπὸ Νείλου τινὸς ἀπογόνου Ἄτλαντος, βασιλεύσαντος τῶν ἐκεῖ· ἄλλοι δὲ, ὅτι Μέλας πρότερον καλούμενος, μετεκλήθη Νεῖλος ἀπό τινος Νείλου βασιλικοῦ παιδὸς, ἐκεῖ ῥίψαντος ἑαυτόν. τινὰς μέντοι, ἀπό τινος Νειλασίου κεκλῆσθαι οὕτως αὐτὸν εἰπόντας, οὐκ εὖ λέγοντας ἀπελέγχει ὁ Ἀῤῥιανός. Cf. Schol. Apoll. Rh. IV. 276. Vid. Tewateri Auctarium Vocum Aegyptiarum in Henr. Steph. Thes. Vol. I. p. CCCXVI. ed. Londinens.

Cap. V.
EX OPERE DE MIRABILIBUS.

Fragm. LXXXVI.

Aelian. de Nat. Anim. VII. 40. (p. 246. ed. Schneid.): *Πέπυσμαι δὲ καὶ Αἰθιόπων εἶναι ἔθνος, ἐν ᾧ βασιλεύει κύων, καὶ τῇ ἐκείνου ὁρμῇ πείθονται. κνυζωμένου τε ἴσασιν, ὅτι μὴ θυμοῦται, καὶ ὑλακτοῦντος τὴν ὀργὴν συνιᾶσιν. τοῦτο εἴ τῳ ἱκανὸς Ἕρμιππος τεκμηριῶσαι, μάρτυρά οἱ τοῦ λόγου ἐπαγόμενος Ἀριστοκλέωνα, πειθέτω. ἐμὲ δὲ μὴ λαθὸν εἶτα ἐν καλῷ τῆς μνήμης ἀφίκετο.*

Cap. VI.
SCRIPTA ASTRONOMICA.

Fragm. LXXXVII.

Hygin. Poeticon Astronomicon lib. II. c. IV. (p. 431. ed. Staveren.): *Hermippus, qui de sideribus scripsit, ait*

Cererem cum Iasione, Thusci filio, concubuisse: quamobrem fulmine percussum complures cum Homero dixerint.

Hom. Odyss. V. 125.:

Ὡς δ' ὁπότ' Ἰασίωνι ἐϋπλόκαμος Δημήτηρ,
Ὧι θυμῷ εἴξασα, μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ,
Νειῷ ἔνι τριπόλῳ. οὐδὲ δὴν ἦεν ἄπυστος
Ζεύς, ὅς μιν κατέπεφνε βαλὼν ἀργῆτι κεραυνῷ.

Cf. Schol. et Eustath. ad h. l. Hellanici fragm. 100. ed. Sturz. Schol. Theocr. III. 50. Muncker. ad nostrum locum et ad fabul. CCL. p. 359.

Fragm. LXXXVIII.

Hygin. l. l. lib. II. c. XX. p. 467.: *Hermippus autem dicit, quo tempore Liber Africam oppugnaverit, devenisse cum exercitu in eum locum, qui propter multitudinem pulveris Hammodes est appellatus. Itaque cum in maximum periculum devenisset, quod iter necessario faciendum esse videbat, accessit eo, ut aquae maxima penuria esset: quo facto exercitus ad maximam defectionem venire cogebatur. Qui quid agerent dum cogitant, Aries quidem fortuitu ad milites eorum errans pervenit: quos cum vidisset, fuga praesidium sibi paravit. Milites autem, qui eum fuerant conspicati, etsi pulvere et aestu pressi vix progrediebantur, tamen ut praedam ex flamma petentes, arietem sequi coeperunt usque ad eum locum, qui Iovis Hammonis postea templo constituto est apellatus. Quo cum pervenissent, arietem, quem secuti fuerant, nusquam invenire potuerunt: sed quod magis his erat optandum, aquae magnam copiam in eo loco nacti sunt, corporibusque recuperatis, Libero statim nuntiaverunt. Qui gavisus, ad eos fines exercitum deduxit et Iovis Hammonis templum cum arietinis cornibus simulacro facto constituit. Arietem inter sidera figuravit, ita ut, cum Sol in eius foret signo, omnia nascentia recrearentur, quae veris tem-*

pore confiunt, hac, re maxime, quod illius fuga Liberi recreavit exercitum. Praeterea XII. signorum principem voluit esse: quod illius optimus exercitui fuerit ductor.

Fragm. LXXXIX.

Schol. Arati Phaenom. v. 315. (Vol. I. p. 79. Buhl.): Ἕρμιππος δέ φησιν, ὅτι (Delphinus) ἐπὶ Ἀπόλλωνος τιμῇ ἡγήσατο Κρησὶν εἰς Δελφούς.

Inde dictus Apollo Δελφίνιος, a Delphino scilicet, quem ducem Cretensium coloniae Cyrrham appulsae immiserat Apollo, uti cum Hermippo consentiens narrat Plutarchus de Solert. Animal. p. 984. Cf. Spanhem. ad Callim. H. Apoll. v. 101. — Secundum alios inter astra relatus est Delphinus in honorem Neptuni, cui, eo adiuvante, nupsit Amphitrite; vel quod Arionem citharoedum incolumem servavit, et usque ad littus perduxit. De Arione cf. Herod. I. 23.

Fragm. XC.

Ibid. v. 436. (Vol. I. p. 102. Buhl.): Αὐτὸν μὲν οὖν (Centaurum) Ἕρμιππος Χείρωνά φησιν εἶναι· τὸ δὲ θηρίον σύμβολον θήρας.

Inter astra Chironem relatum tradunt, propterea quod Aesculapium, Achillem et Iasonem artem medicam docuerit.

INDEX SCRIPTORUM,

QUI HERMIPPI SMYRNAEI TESTIMONIO UTUNTUR.

SCRIPTORUM HERMIPPI ELENCHUS.

CORRIGENDA.

P. 19. lin. 8. del. comma post sententia.
» 20. » 14. corr. adiudicatam.
» » » 23. » Ἄβρων.
» 23. » 16. add. Hermippus post enumer.
» 25. n. 62. l. 10. corr. ἐρειπ.
» 28. » 69. » 4. add. quam post aliquid.
» 51. lin. 12. del. Neque.
» 56. » 4. corr. , post edidit.
» 72. » 24. add. haec post sapient.
» 75. » 6. corr. Mantineea.
» 119. » 16. » qui.